COMMENTARIA EPHEMERIDVM CLARISSIMI VIRI D. ANDREÆ PERLACHII STIRI, MEDICAE ARTIS DOCTORIS, AC IN ACADEMIA Viennensi Ordinarij quondam Mathematici, ad vsum studiosorum ita fideliter conscripta, vt quisq; absq; Præceptore, ex sola lectione integram inde artem consequi possit.

*

Cum gratia & priuilegio Inclytiss. Rom. Hung. & Boëm. Regis, &c.

Impensis nobilifs. atque ornatifs. viri D. Iacobi Taurelli &c.

VIENNAE AVSTRIAE excudebat Egidius Aquila. Anno M. D. LI.

Barp. Reiſ.

Quàm præclara geris meritis Taurelle probatis
Signa, tibi Sedes quæ dat Apoſtolica.
Iſthæc indicijs claris, ſummóque triumpho
Teſtantur fidei candida facta tuæ.
Quæ Martinengi & Fridrici Præſulis aula
Nouit, quæque amplo ſplendidè in orbe ſonant.

AMPLISSIMO CLARISSIMO'QVE SENATVI VIENNENSI, DE OPT. ARTIVM studijs benè merito, Patribus optimis Io. Schröter.

HÆc tibi magnifica celeberrime laude Senatus
Non indigna tuo ſcripta fauore damus:
Vt ſint erga te gratam teſtantia mentem
Signa, pias Muſas quòd colis atque foues.
Conſtat enim, per te quòd præcellentibus vrbs hæc
Floruerit ſemper condecorata viris.
E quibus ætherea præſtans Purbachius arte,
Laudibus impleuit Solis vtramque domum.
Hoc duce quandoquidē diuina Mathemata pulcrum
Denſis è tenebris exeruêre caput.
Hoc duce ſcanderunt multi cœleſtia templa,
Quorum laus nullo eſt interitura die.
Huius Ioannes, cognomen patria cui dat,
Diſcipulus nutu hîc vixit & iſte tuo.
Nec non qui noſtræ ſuperat præconia Muſæ
Voglinus, mira dexteritate potens.
Vixit in hac etiam Andreas Perlachius vrbe,
Alter & Euclides, alter & Hippocrates.
Hoc cuius præſens, quoniam ſic iuſſerat ipſe,
Edimus haud paruæ commoditatis opus.
Id læto vultu ſanctiſſime ſume Senatus,
Vtque facis, ſtudijs perge fauere bonis.

S. E. G.

Hæc præclara tibi fœlix Insignia virtus
Taurello, Ausonio Rege volente, tulit.

A. B. C.

A proauis Taurum Taurellus gesto vetustis,
Plura dedit virtus Regia, plura dabit.

NOBILISSIMO ATQVE ORNATISS. VIRO D. IACOBO TAVRELLO, SELESTADINO, ALSACIO, Comiti Palatino Apostolico, publico sacris tam Apostolica quàm Imp. auctoritatib. Notario, Reuerendissimique Dñi D. Frid. Nauseæ Vienneñ Antistitis Secretario, & Episcopatus eius in Spiritualibus Scribæ Ordinario dignifs. & fidelifs. amico verè candido Ioannes Schröter.

S. D.

QVæri hodie à multis solet, Iacobe vir ornatissime, qui fiat, quòd hoc tempore homines nostri non ad perfectam eam eruditionem perueniant, ad quam superioribus seculis Hippocratem, Platonem, Aristotelem, Archimedem, Ciceronem, Galenum, & innumeros alios peruenisse perspicimus. Quę quæstio etsi multos multa proferre mouerit, siquidem idem cœlum eundemque aërem, quæ fuerunt istis temporibus, vel nunc esse animaduerterunt: tamen cùm rem paulò exactius penitiusq; ponderamus, equidem hac memoria nostros ad eandem perfectionē accedere posse omninò manifestum est. Quod verò ea in multis non appareat, multę & magnæ causę sunt, quę idipsum

vehementissime impediunt: quibus amotis facilē solidiorem doctrinam reuocari posse crediderim. Nam primò parentes maiori studio & cura, magisq; ex animo liberis de præceptoribus olim prospiciebant: hodie rarò inuenies patrem, qui filij ingenium, aptum ne sit ad studia, an non, diligenter consideret: plærosque nunc videmus studijs à parentibus addictos, qui neque ingenio neq; natura vel memoria valeāt, contrà, ingeniosos vel ad negociationem, vel ad alia & quidem Reipub. pernitiosa studia deducunt. Non enim existimant, propterea nos studijs honestissimis vacare, vt posteà nostra opera studioque labanti Reipub. prēsto simus, verùm vt quoquo modo inde vitam sustentemus. Ijs posteà pulchrè fidem faciunt quidam, qui honores & dignitates maximas in Repub. consequuntur, nulla tamen doctrina, nulla morum dexteritate, nulloque discendi studio ornati: quos posteà vident, ne vel minimam cogitationem adhibere, vt boni mores, literæ & Reip. status conseruentur, sed magis manibus pedibusque sedulò & quidē diligenter cauere, ne studia quibus Rēp. conseruari necesse est, promoueātur. Huic incōmodo proximum est, quòd pueri initio non tradantur ijs præceptoribus, qui ad quæ studia, quasque artes quisque maximè aptus futurus esset, iudicare possent: atque quomodò, quoque ordine quisque instituendus esset, optimè tenerent. Est enim hoc potissimum in institutione considerandum: nam aliter

ter ingenia vehemẽtiora, aliter modestiora erudiamus oportet. Deinde re ipsa maximoq; Reipub. incommodo comperimus, maleuolentiam tũ eorum qui docent, tum aliorum qui discentes maximè iuuare debebant, vehementer mirumque in modum præclaris ingenijs nocuisse. Sæpenumerò enim odium & iniquitas huiusmodi impiorum atque Reipublicæ Ecclesiæque Christi pernitiosorum hominum multa excellentia ingenia, quæ Rebuspub. cùm vsui & emolumento tũ ornamento maximè esse potuissent, à bonis literis studijsq; planè deterruerunt. Neque mirum cuiquam hoc esse debet, vt enim quisque optimus est, ita facilimè animaduerso odio, ab incepto cursu deterretur. Quid de optimorum librorũ penuria, qui aut iniuria temporum interciderũt, aut hodie per iniquissimos homines detinentur, dicam? Equidem inopiam bonorũ librorum vel præcipuum impedimentũ esse crediderim. Etsi optimos quosq; libros opera clarissimorum hominũ hac memoria habemus, in præcipuis tamen artibus præcipui, inq; ijs quos habemus, adhuc multa potioraq; desideran tur, quæ vel per homines malos ex cõposito supprimuntur, vel mutilata eduntur, ne ad oẽs æquè pulcherrimarũ maximeque necessariarum rerũ cognitio vtilis veniat. Has enim & plures alias causas, cur aliquãdo intereant boni libri, Galenus copiosè in quodam loco recitat. Quare præclarè ij faciũt, optimeque de tota Rep. merentur, qui in eam cu-

ram

ram cogitationemque incumbunt, quomodò in multorum manus optimos libros mittere possint, ita enim perfectiorem doctrinam in multis posteà sperare possumus. Et quoniã Taurelle vir ornatissime, pro auita tua liberalitate erga bonos & artiũ studiosos quosque tam promto animo in edendis optimi & clarissimi viri Andreæ Perlachij Ephemeridum commentarijs, cùm ea typis dare constituissem, sumtus necessarios præbueris, ne ijs destituti, longius & magno cum studiosorum incommodo editionem differre cogeremur: de studijs artibusque bonis præclarè mereris, atque his impedimentis omnibus commodùm obstare videris. Si enim ij optimè de Repub. merentur, qui student aliorum præclaros labores in omnium manus mittere, me hercle alij præclarius faciunt, qui suis sumtibus nullo emolumẽto aut cõmodo inde spectato, hoc quod priores facere cogitabãt, sedulò perficiunt, ac ipsi demùm (dicendum enim est, quod sentio) rectè Reipub. consulunt. Nam cùm sæpius vsu veniat, Typographos tantæ facultatis nõ esse, vt suis pecunijs optimos quosq; libros imprimere possint, aliquando fit, vt ij posteà incuria pereant. Ago igitur tibi Taurelle vir ornatiss. meo & omnium bonorum nomine ingentes gratias, quòd clarissimi Perlachij Præceptoris mei labores à situ & interitu vindicare volueris. Erit autem apud oẽs doctos tibi maximè gloriosum, te his temporibus vbi amor promouendi studia apud plærosque vehementer

PRIMA PARS COMMENTARIORVM AND. PERLACHII.

PROPOSITIO I.

Aureum numerum, an benè maleúe ſit poſitus in opere Ephemeridum, quouis anno probare.

ADde annis Chriſti propoſitis vnum, & productũ diuide per 19. id quod reſiduum fuerit, oſtendit aureum numerũ pro anno propoſito: vt pro anno 1547. ſi aureũ numerum habere volueris, adde vnum, erunt 1548. productum diuide per 19. & manent in reſiduo 9. qui eſt aureus numerus, & in quotiente eſt 81. qui oſtendit, quoties ab annis Chriſti ſit reiteratus, hoc eſt, 81. Additur autem vnitas eò, quòd anno natiuitatis Chriſti fuerit aureus numerus 2. ſi fuiſſet vnitas, nihil opus eſſet addere. Vnitas enim pro primo anno Chriſti computatur, & altera vnitas additur. Diuiditur autem per 19. nam aureus numerus non extendit ſe vltra 19. A' Romanis ita nominatus ob ſummam eius vtilitatem, quòd per eum facilè poterant nouã Lunam quolibet menſe ſcire, & deinceps etiam plenam Lunam, ac quartas eiuſdem. Ob id eum numerum Romani ſuo Calendario inſcripſerunt, vt circa quam diem menſis aureus numerus anni propoſiti reperiretur, ea die fieret noua Luna, id in antiquis Miſſalibus Breuiarijsque adhuc patet. Is autem noſtro tempore non habet vtilitatem, cùm in ſingulis 19. annis anticipet per vnã horam & 28. minuta, & in 304. annis per 1. diem, & ita ad noſtra tempora ad 5. diem ſupra anticipauit, & illic fit noſtro tempore nouilunium. Recentiores autem quidem rectificarunt hunc numerum ad noſtra tempora, vt circa quam diem cuiuſcunq; menſis inuenitur aureus numerus, ea die fiet nouilunium. Vt autem ſciatur, an ſit vetus vel noua inſcriptio, conſideranda eſt 1. dies Ianuarij: ſi è regione primæ diei Ianu. reperiatur numerus aureus 3. eſt vetus inſcriptio ad tempora Iulij Cæſaris: ſi aũt nihil ponitur circa diem primum, & 8. circa diem 2. Ianuarij, eſt noua inſcriptio. Apud Græcos is numerus vocatur Cyclus Decennoualis, quia in eo tempore omnes lunationes redeunt ad priores

ferè dies mensis, quibus fuerant ante 19. annos, fit tamen anticipatio cuiuslibet lunationis mediæ in vna hora, 28. minutis, 3. secundis, 30. tertijs. Apud Hebræos vocatur is numerus Cyclus Lunaris, quia institutus est ad motũ Lunæ, quòd nouam Lunam semper ostendat. Est tamen differentia inter aureum numerum ac Cyclum Decennoualem vel Lunarem, quòd aureus numerus initium sumit à Ianuario, Cyclus verò Decennoualis vel Lunaris à Septembri.

PROPOSITIO II.
Cyclum Solarem examinare.

ADde annis Christi propositis 9. productum diuide per 28. & residuum ostendit Cyclum Solarem anni propositi, quotiens verò, quoties ab anno Christi sit reiteratus. Exemplum. Annus Christi propositus 1547. Numerus addendus 9. Productus 1556. Diuisor 28. Residuum 16. Quotiens 55. Erit igitur Cyclus Solaris pro anno 1547. proposito 16. & totus Cyclus Solaris scilicet 28. reiteratus est ab annis Christi 55. Adduntur autem ad annos Christi 9. natus est enim Christus anno 10. Cycli Solaris: vnitas computatur pro primo anno Christi, reliquæ 9. vnitates sunt addendæ. Productum autem diuiditur per 28. nam Cyclus Solaris est spacium 28. annorum, & vltra 28. nõ extenditur, sed ab vnitate iterũ incipit, & dicitur cyclus à Græco verbo κύκλος, quod Latinè sonat orbis vel circulus. Solaris autem dicitur à Sole, non quòd Sol eo spacio temporis compleat cursum suum, orbem signorum & circulum eccentricum permeando, sed ideò quòd per hunc Cyclum addiscimus, quæ sit litera Dominicalis quouis anno, per quam scitur, quibus diebus mensis dies Dominicus sit celebrandus. Dies autem Dominicus Soli attribuitur, à die igitur Solis dictus est Solaris. Dictus est etiam Cyclus Solaris respectu Lunaris Cycli: vt enim in 19. annis complentur omnes diuersitates, quæ fiunt ex motu Lunæ cum Sole, ita in 28. annis complentur omnes diuersitates, quæ accidunt ex Bissexto & litera Dominicali. Nam cùm septem sint dies hebdomadæ, & Bissexti quarto tantùm anno accidant, si 7. per 4. multiplicantur, proueniunt 28. in quibus quæ per literam Dominicalem ac per Bissextum atq; etiam concurrentes accidere possunt, diuersitates complentur, deinde iterum in pristinam redeunt formam. Variationis autem literæ Dominicalis singulis annis causa est dies ille superfluus vltra 52.

hebdo-

hebdomadas: habet enim annus communis 365. dies, qui faciunt 52. septimanas, & manet dies vnus in residuo, si enim essent præcisè 52. hebdomadæ in anno, semper A maneret litera Dominicalis, & nullus esset concurrens. Incipit autem Calendarium Romanum à litera A, & desinit in eandem. Quum igitur A fuerit litera Dominicalis, erit prima dies Ianuarij Dominicalis, & vltima Decembris similiter. Sequenti autem anno primũ A non erit Dominica, sed secunda feria, secundo autem anno post primum A erit tertia feria, & ita consequenter singulis annis prima dies Ianuarij alterius feriæ assumit denominationem, ita etiam quodlibet festum fixum in aliam singulis annis feriam incidit, donec complentur 28. anni, deinde redeunt ad pristinam formam. Quum autem annus Solaris habet 365. dies, 5. horas, 49. minuta, 16. secunda, & Calendarium Romanum habet tantùm 365. dies, excedit itaque annus Solaris, quo videlicet Sol totum Zodiacum perambulat, annum Romanum in 5. horis, 49. minu. & 16. secundis. Pro illis autem 5. horis, 49. mi. 16. secun. accipiuntur integræ sex horæ, cùm tantum desint 10. mi. & 44. sec. & illæ 6. horæ reseruantur in quartum vsq; annum, & in 4. annis faciunt 24. horas, quæ integrũ diem constituunt, & sic dies ille ex 6. horis resultans, singulis 4. annis facit annum Bissextilem, qui habet 366. dies. Hic autem dies intercalaris intercalatur in mense Februario post 24. diem, quòd inter omnes reliquos menses pauciores habet dies, & 24. dies Februarij dicitur Sexto Calendas Martij. Dies immediatè post, qui intercalatur, seruat eandem literam scilicet F. vt 24. dies, & etiam dicitur Sexto Calen. Martij, & sic duobus diebus se immediatè sequentibus dicitur Sexto Calend. Martij. Hinc Bissextilis annus dictus, quòd bis 6. Calend. Martij eo anno dicitur, & ita in anno Bissextili litera F è regione festiuitatis Mathiæ geminatur, qui in Cisioiano dicitur Math, Math. Sed in Diocœsi Salisburgen. geminant literam E, & dicunt trum, trum, & tunc secũda litera E dicitur 6. Calend. Martij, item & litera F. Cùm autẽ annus Bissextilis habet 366. dies, erunt duo dies superflui vltra 52. septimanas, necesse est duas fieri literas Dominicales, prima accidit vt in anno communi, quæ durat vsque ad festum Mathiæ, altera causatur ex intercalatione diei post festum Mathiæ, & illa durat vsque ad finem anni. Intercalatur autem dies ille superfluus in anno Bissextili in Februario, & non in alio mense, propter paucitatem dierũ, quam habet. Habuit autem dies 30. à principio, cùm autem Iulius Cæsar instituit apud Romanos Calendarium ad motum Solis rectificatum, quo videlicet tempore cursum suum perficiat, vt eius

memoria haberetur, nominauit mensem (antè dictum Quintilem) Iulium, qui, vt mensis de numero impari, habet 31. dies, pòst Augustus Cæsar, vt etiam haberet memoriam in Calendario, nominauit mensem, antè dictum Sextilem, Augustum, ne minor haberetur Iulio, attribuit illi etiam 31. dies, vnum diem adimens Februario, & relicti sunt Februario 28. dies. Ademerunt autem Februario duos dies, & non ab alio mense, quòd dis Manibus seu Plutonisacer esset, dicitur enim Februarius à februo, quod est purgo. Romani enim in mense illo ciuitatem lustrando purgabant. Necesse est autem quolibet quarto anno intercalare vnum diem, vt festa fixa semper statis temporibus anni celebrentur, vt festa videlicet hyemalia semper manerent in hyeme, & festa æstiua in æstate. Si igitur Bissextus annus non seruaretur, accideret, vt quarto quoque anno Æquinoctia & Solstitia postponerent loca sua per vnum diem, & ita successu temporis Æquinoctium vernum veniret ad Aprilem, deinde ad Maium, pòst ad Iunium, & sic consequenter eodem modo etiam Solstitia ad sequentes menses, & cùm medietas anni sit 182. dierum, si multiplicentur per 4. proueniunt 728. anni, in tali annorum spacio fieret, vt festa hyemalia venirent ad tempus æstatis, & sic festum natiuitatis Domini veniret ad mediam æstatem, quod prius celebrabatur in media hyeme, & festa æstiualia ad hyemem venirent, vt festum Ioannis Baptistæ, quod celebratur in media æstate, veniret ad mediam hyemem, & in 1456. annis redirent iterum ad sua loca, quæ res valde ridicula esset.

Tabellam Cycli Solaris & literæ Dominicalis artificiosè componere.

CVm Cyclus Solaris sit spacium 28. annorum, scribantur igitur numeri ab vnitate vsque ad 28. deinde sub vnitate (cùm semper est annus Bissextilis, quoties vnitas est Cyclus Solaris) scribe literas Dominicales G F, literam G superius, F autem inferius: superior scilicet G semper durat vsque ad festum Mathiæ, inferior scilicet F ad finem anni. Deinde sub 2. ponatur pro litera Dominicali E, quia contra ordinem literarum est procedendum: sub 3. D: sub 4. C: sub 5. cùm sit annus Bissextilis, B & A, B superius, A verò inferius, & ita in finem vsque procedendo, & ita fiet, vt quælibet 7. literarum, s. A, B, C, D, E, F, G, in spacio 28. annorũ, & non prius omnes, per Bissextum elidatur, vt patet ex sequenti tabella.

1	G F	8	E	15	C	22	A
2	E	9	D C	16	B	23	G
3	D	10	B	17	A G	24	F
4	C	11	A	18	F	25	E D
5	B A	12	G	19	E	26	C
6	G	13	F E	20	D	27	B
7	F	14	D	21	C B	28	A.

PROPOSITIO .III.

Cyclum indictionis Romanæ examinare.

ADde anno Christi proposito 3. productum diuide per 15. residuum ostendit indictionem Romanam, quotiens verò ostendit quoties is numerus indictionis à natiuitate Christi sit reiteratus. Exemplum. Annus Christi propositus 1547. Numerus addendus 3. Productus 1550. Diuisor 15. Residuũ 5. Quotiens 103. Est igitur indictio Romana 5. pro anno proposito 1547. & totus iste Cyclus 15. annorũ reiteratus est 103. Addũtur aũt 3. anno Christi proposito, quòd Christus natus est anno 4. Cycli indictionis Romanæ. Diuiditur aũt, pductũ per 15. Nam indictio Romana non extendit se vltra 15. annos, deinde iterum incipit ab vnitate, & iste numerus est institutus à Romanis, cùm dominarentur ferè vniuerso orbi, & longinquæ nationes non poterant singulis annis adferre tributa in vrbem Romanam, statuerunt Romani, vt transacto lustro. i. quinquennio, tributa adferrent. Quindecim enim anni fuerunt 3. lustra, primo lustro siue quinquennio debebant adferre pro tributo aurum & alia preciosa, pro maiestate imperij. Secundo autẽ lustro argentum pro stipendio militum. Tertio lustro ferrum pro armorum reparatione. Ne ergo quampiam regionem, prouinciam, seu aliquem tributarium lateret finiti lustri tempus, pręceperunt Romani, nullis literis dari fidẽ, si nõ hoc numero signatæ essent. Primi itaque Episcopi Romani propter tyrannos imperatores aliquandiu literas suas hoc numero signare coacti sunt, post in consuetudinem traductum, quòd adhuc hodie quælibet literæ Pontificum, Cardinalium, & Notariorum illum numerum contineant, sed in hoc errant, quòd ab initio Ianuarij incipiunt illum numerum, cùm primùm in Septembri incipiat. Romani enim census exigebant in Septembri, cùm maior esset vbertas fructuum.

PROPOSITIO IIII.

Interuallum, concurrentes, & festa mobilia anno quocunque proposito, quibus diebus mensium celebrari debeant, inquirere.

CVm festum Paschatis sit inter festa mobilia omnium principalissimũ, ex veteri lege diuina secundũ lunationem institutũ, & reliqua omnia habeant certũ respectũ, ordinem & distantiã determinatã ad ipsum, iure optimo inprimis de Paschate dicitur, quomodo tale, cùm quãdoq; in Martiũ, quandoq; in Aprilẽ incidat, sit quolibet anno inuestigandũ, & quo die mensis celebrandũ. Est aũt festũ mobile, quod nõ habet fixum locũ in Calendario designatum, sed singulis annis variatur iuxta ascensum seu descensum lunationũ: vt sunt, festum Paschatis, Penthecostes, Ascensio domini, festum Corporis Christi, &c. Festa verò fixa dicũtur, quæ scripta sunt in Calendario, & semper in ijsdem diebus mensium celebrantur, vt festum Natiuitatis Christi est scriptum ad 25. diem Decembris, & ea die semper celebratur, ita etiam 24. Iunij semper celebratur festum Ioannis Baptistæ. Quòd autem festum Paschatis quandoque incidit in Martium, quandoque in Aprilem, in causa est decima quarta Luna mensis primi: Leuitici enim 23. dicit Legislator: Decima quarta Luna mensis primi celebrabitis Pascha, in memoriam, quòd dominus Deus populum Israël liberauit de seruitute Pharaonis, & eduxit eum in terram patribus promissam, fluentem lac & mel. Per decimam quartam Lunam intelligitur plena Luna, nam Luna semper iuxta medium eius motum 14. die post nouilunium fit plena. Mensis autem primus Lunaris is dicitur, cuius plena Luna accidit in momento ipso Æquinoctij vernalis, vel immediatè pòst, & talis Luna dicitur semper Paschalis. Nam eo die celebrarunt festa Paschatis ipsi Judæi, id quod adhuc faciunt. Ea die Christus saluator noster habuit cum discipulis suis vltimam suam cœnam, & ita impleuit veterem legem, & nouam videlicet gratiæ instituit, quam institutionem Apostoli & cæteri Christiani in memoriam passionis Christi, singulis etiam annis ipsa decima quarta Luna, vt Iudæi celebrabant: in Nicena verò

Syno

Synodo placuit patribus, ne Christiani haberent aliquod commercium cum Iudæis, vt Pascha Christianorum non ipsa decima quarta Luna mensis primi, sed Dominica immediatè post celebraretur, & iniunxerunt Episcopo Alexandrino tanquàm perito in rebus Astronomicis, vt supputaret, singulis annis qua die mensis Christiani celebrare deberent suum Pascha. Is composuit tabellam festorum mobilium, quam Ioannes de monte regio suo Calendario inseruit, in ea tabella omnia festa mobilia inueniuntur, cognito prius aureo numerò & litera Dominicali, quibus diebus mensium singulis annis peragi debeant. Eo autem tempore fuit Æquinoctium vernale in die 21. Martij, ideò cœpta est ea tabella à 22. Martij, & extensa est vsque ad 25. Aprilis, in quamcunque diem à 22. die Martij vsque ad 25. Aprilis incideret plenilunium, quod tale esset Paschale, & Dominica immediatè sequente esset Pascha Christianorum. At id decretum Patrum vulgatus vsus Ecclesiæ non semper seruat, sed quandoque recedit ab eo decreto. Causa autem erroris est anticipatio vernalis Æquinoctij, quod tempore Nicenæ Synodus fuit 21. die Martij, nostro autem tempore est 10. Martij. Quoties igitur plena Luna incidit inter 10. diem & 21. Martij, toties vulgatus vsus Ecclesiæ recedit à decreto Patrum, quandoque per 28. dies, quandoque per 25. Cùm verò plena Luna proximè post Æquinoctium incidit post 21. Martij, tunc quandoque rectè iuxta decreta Patrum celebratur Pascha, quandoque per 7. dies recedit, tabella festorum mobilium ita ordinante. Ea autem tabella festorum mobilium pluribus indiget cautelis, ne igitur quis facilè in errorem incidere posit, placuit alium modum quærendi festa mobilia quouis anno, subiungere, qui sine errore perfici potest.

Diem Paschatis, & reliqua festa mobilia secundum vulgatum vsum Romanæ Ecclesiæ hactenus obseruatum, inuenire.

QVum adhuc vsus vulgatus Ecclesiæ Romanæ habet plenã Lunam, quæ immediatè sequitur 21. diem Martij, secundum decreta Patrum esset Paschalis, & Dominica immediatè sequente

Tabella ostendens diem Paschatis secundum vulgatum vsum Ecclesiæ Romanæ.

Aur. nū.		Martij
16		1
5	d	22
	e	23
13	f	24
2	g	25
	A	26
10	b	27
	c	28
18	d	29
7	e	30
	f	31
15	g	Ap. 1
4	A	2
	b	3
12	c	4
1	d	5
	e	6
9	f	7
	g	8
17	A	9
6	b	10
	c	11
14	d	12
3	e	13
	f	14
11	g	15
	A	16
19	b	17
8	c	18
	d	19
	e	20
	f	21
	g	22
	A	23
	b	24
	c	25

quente esset Paschatis dies Christianorum, si ceciderit talis plena Luna in Dominicam diem, Dominica sequens esset dies Paschatis, sed vulgatus vsus Ecclesiæ non eam Dominicam, quæ immediatè sequitur, accipit, sed faciunt saltū per vnam septimanam, tabella festorum mobilium ita docente. Vt autem festum Paschatis & reliqua festa mobilia secundum vsum vulgatum & sine errore singulis annis sciri possint, intra hanc tabellam annexam, & quære aureum numerum anni propositi, ac literam Dominicalem immediatè sub aureo numero, & è regione inuenies diem mensis immediatè suprà notati, qua festum Paschatis sit celebrandum. In anno autem Bissextili litera posterior diem Paschatis ostendit. Numera deinde retrò sex Dominicas exclusa Dominica Paschatis, & habebis Quadragesimā seu Dominicā Inuocauit, quam Ecclesia instituit in memoriam, quòd Christus ieiunauit 40. diebus & 40. noctibus. Deinde ꝓxima Dominica ante Inuocauit dicitur Dominica Esto mihi. Tertia feria immediatè sequente est dies Carnispriuij, & quarta feria pòst dies Cinerū. A Dominica Esto mihi, numera 2. Dominicas exclusa Dominica Esto mihi, & habebis Dominicam Septuagesimę, quam Ecclesia ordinauit in memoriam filiorum Israël, quòd fuerunt 70. annis sub seruitute Babylonica, & extendunt se vsq; in octauam Paschatis. Eodem modo numera à Dominica Esto mihi, vsq; ad festum Natiuitatis Christi, & integræ septimanæ pro interuallo habentur, dies residui à die Natiuitatis Domini, vsque ad Dominicam proximè sequentē, dicuntur dies Concurrentes festo Natiuitatis inclusi (includuntur autem inter festum Natiuitatis Domini & Domnicam proximè sequentem.) Post Pascha proxima Dominica sequens est Dominica Quasimodogeniti, secunda Dominica Misericordias domini, tertia Iubilate, quarta Cantate, quinta Vocum iucunditatis, & est Dominica Rogationum, quam Ecclesia Christiana ordinauit, vt extirparet consuetudines quasdam gentilium. Erat enim ijsdem temporibus.

bus Romanorum & aliorum gentilium consuetudo, peragere Floralia, Ambarualia, & Rubigalia contra rubiginem pro vbertate fructuum. Quinta feria post Dominicam Rogationum semper celebratur festum Ascensionis Domini, & semper celebratur 40. die post Pascha. Sexta Dominica post Pascha dicitur Exaudi. Septima Dominica Penthecoste, in memoriam missionis Spiritus sancti, quæ facta est 50. die post Pascha, vtroque festo incluso, & dicitur à pente. i. quinque, & coste. i. decem, sunt enim à Paschate quinquies decem dies. Deinde proxima Dominica post Pentecostes est Dominica Trinitatis. Quinta feria post semper celebratur festum corporis Christi. Vltimum festum mobile est Aduentus Domini, qui semper celebratur Dominica proxima post diem Cunradi, qui est 26. Nouembris.

Oportet itaque singulis annis festa mobilia examinare, an numeri dierum in prima facie Ephemeridum notati, quibus celebrari debeant, rectè à Calcographis sint impressi. Turpe enim admodum esset, Astronomum in his rebus puerilibus errorem committere. Sunt alij alium modum obseruantes in quærendis festis mobilibus, & inprimis pro Dominica Septuagesimæ iuxta versiculum illum: Post festum Stellæ nouam Lunam require, post eam tertia Dominica erit Septuagesima. Vulgares dicunt:

Nach der heyligen Künig drey / schaw eben wo der Mon new sey /
Darnach den dritten Suntag / scheub das Alleluia in sack.

Pro Dominica autem Esto mihi, quæ est proxima Dominica ante Carnispriuium: Post festum purificationis Mariæ, quæ sit noua Luna require, post illud nouilunium, proxima Dominica erit Carnispriuium, id est, Dominica Esto mihi. Vulgares dicunt:

Zů Liechtmeß vnser lieben fraw / den newen Mon eben anschaw /
Vnd den Suntag darnach / ist der Herren Faßnacht.

Habita autem Dominica Esto mihi, reliqua festa mobilia facilè inueniuntur: proxima enim tertia feria est Carnispriuium, quarta feria Cinerum, deinde proxima Dominica post est prima Dominica Quadragesimæ siue Inuocauit, deinde secunda Dominica Reminiscere, tertia Oculi, quarta Lętare, quinta Iudica, sexta Palmarum, septima Paschatis. Deinde post Pascha reliqua festa mobilia inquirantur sicut prius dictum est.

Festum Paschatis iuxta decreta Patrum qua die celebrari debeat, indicare.

CVm diuina institutio habeat, festum Paschatis celebrari debere 14. Luna mensis primi, id est, in proximo plenilunio, quod sequitur Æquinoctium vernale. Est autem nostro tempore Æquinoctium vernale 10. die Martij, quære itaque in Ephemeridibus, qua hora ac minuto fiat Æquinoctium. i. ingressus Solis in primum punctum ♈, & plena Luna, quæ fit eo momento Æquinoctij vel immediatè pòst, est Paschalis, & Dominica immediatè sequente celebrandum est Pascha. Si plena Luna incidit in Dominicam, sequens Dominica erit festum Paschatis. Reliqua autem festa mobilia quærenda sunt à festo Paschatis, sicut prius dictum est, antè & pòst numerando. Quotiescunq; igitur aliqua plena Luna incidit inter 10. diem & 21. Martij, illa est Paschalis iuxta decreta Patrum, & Iudæi eandem ex mandato legis diuinæ obseruant, Christiani verò expectant aliam, quæ sequitur 21. Martij, & ita Pascha eorum nec iuxta mandatum legis diuinæ, nec iuxta decreta Patrum obseruant, quæ res videtur ignominiosa Christianis.

PROPOSITIO V.

Eclipses Luminarium, si quæ fiunt, in anno proposito præcognoscere.

VTrum vna vel plures, aut prorsus nulla in anno proposito futura sit Eclipsis, circuli sub ordine festorum mobilium depicti id manifestant. Quot enim circuli illic apparuerint, tot futuras esse Eclipses Luminarium eo anno pronũciabis: vt anno 1547. sub titulo festorum mobilium tres circuli sunt depicti, ergo eo anno tres Eclipses Luminarium contingent.

PROPOSITIO VI.

An fiat Eclipsis Solis vel Lunæ, & qua die mensis, hora atque minuto maxima appareat, quod medium Eclipsis dicitur, manifestare.

SVpra quemlibet circulum designantem Eclipsin est titulus, cuius Luminaris sit Eclipsis, Solis vel Lunæ, sub eo titulo sunt tres numeri, primus diem mensis immediatè subscripti, secundus

cundus numerus horam, tertius minutum, cùm maxima fiet Eclipsis, repræsentat: vt anno 1547. tres circuli sunt depicti, super primum est titulus, Eclipsis Lunæ, & sub eo tres numeri, qui designant, quòd ea Eclipsis Lunæ fiet 4. Maij, hora 10. minu. 28. Super secundum circulum est etiam titulus, Eclipsis Lunæ, quæ fiet 28. die Octobris, hora 4. minu. 56. Super tertium circulum est titulus, Eclipsis Solis, 12. Nouembris, hora 2. minu. 9. Et illa sunt tempora mediæ Eclipsis, quando maxima appareat, vt figura ipsa exprimit.

PROPOSITIO VII.

An Eclipsis fiat vniuersalis vel particularis, ostendere.

SI totus circulus fuerit niger, aut puncta fuerint 12. aut plura, erit vniuersalis Eclipsis. i. totum corpus luminaris obscurabitur: si verò non totus fuerit niger, aut puncta fuerint pauciora 12. erit Eclipsis particularis. i. pars tantùm corporis luminaris obscurabitur: vt anno 1547. tres circuli sunt, & nullus totus obscurus, ergo nulla erit Eclipsis vniuersalis, sed omnes tres particulares.

PROPOSITIO VIII.

Quanta pars corporis alicuius luminaris obscurabitur, patefacere.

DIameter cuiusque corporis luminaris diuiditur in 12. partes, quas puncta vocant, & numerus qui immediatè super picturam ponitur iuxta puncta, ostendit, quot partes siue puncta & minuta de diametro corporis obscurabuntur: si est vnus punctus, obscurabitur de corpore luminaris duodecima pars: si 2. puncta, sexta pars: si 3. puncta, quarta pars: si 4. puncta, tertia pars: si 6. puncta, medietas: si 8. puncta, duæ tertiæ: si 9. puncta, tres quartæ: si 12. puncta, totum corpus obscurabitur. In Eclipsi autem Lunæ quandoque plura puncta quàm 12. ponuntur, illa ostendunt Lunam per aliquod tempus in vmbra terræ moram habituram: vt anno 1547. sunt 3. Eclipses, duæ primæ Lunæ, tertia Solis: prima habet puncta 8. mi. 0. secunda autem puncta 11. mi. 34. tertia Eclipsis habet puncta 9. minu. 28. At anno 1548. fiet Eclipsis Lunæ vniuersalis 18. punctorum.

PROPOSITIO IX.

Quanto tempore tota Luna maneat ſub vmbra terræ, quando plura puncta quàm 12. notantur, prædicere.

QVando Eclipſis Lunæ eſt præciſè 12. punctorum, tunc quidem fit vniuerſalis Eclipſis Lunæ, ſed ſine mora: nam immediatè quando tota eſt obſcurata, ex parte orientali incipit iterum ſucceſsiuè apparere, ſed quando plura puncta quàm 12. habet, tunc Luna per tempus aliquod carebit prorſus lumine. Quantum autem ſit illud tempus, potes ex tabella moræ Lunæ ſub tenebris inuenire. Intra itaque in tabellam moræ Lunæ ſub tenebris tempore totalis obſcurationis cum punctis & minutis, vel cum viciniori, & è regione reperies tempus in horis atque minutis, quandiu manſura ſit in vmbra, vt anno Domini 1548. fit Eclipſis vniuerſalis, 18. punctorum ferè, intro cum 18. punctis in tabellam, & è regione 18. punctorum inuenio vnam horam & 33. minuta, tanto tempore Luna manebit in vmbra tota priuata lumine.

Tabella moræ Lunæ ſub tenebris, tempore totalis eiuſdem defectionis.

pũct.	minu	h	m	pũct.	minu	h	m	pũct.	minu	h	m	pũct.	minu	h	m	pũct.	minu	h	m
12	0	0	0	14	0	1	0	16	0	1	21	18	0	1	33	20	0	1	27
12	10	0	14	14	10	1	2	16	10	1	22	18	10	1	33	20	10	1	37
12	20	0	25	14	20	1	4	16	20	1	24	18	20	1	34	20	20	1	28
12	30	0	32	14	30	1	6	16	30	1	25	18	30	1	34	20	30	1	38
12	40	0	38	14	40	1	8	16	40	1	26	18	40	1	35	20	40	1	39
12	50	0	43	14	50	1	10	16	50	1	27	18	50	1	35	20	50	1	39
13	0	0	46	15	0	1	12	17	0	1	28	19	0	1	35	21	0	1	39
13	10	0	49	15	10	1	14	17	10	1	29	19	10	1	36	21	10	1	40
13	20	0	52	15	20	1	16	17	20	1	30	19	20	1	36	21	20	1	40
13	30	0	54	15	30	1	18	17	30	1	31	19	30	1	36	21	30	1	41
13	40	0	56	15	40	1	19	17	40	1	22	19	40	1	37	21	40	1	41
13	50	0	58	15	50	1	20	17	50	1	32	19	50	1	37	21	50	1	41

PROPOSITIO X.
Dimidiam Eclipsis durationem elicere.

POst tempus mediæ Eclipsis ponitur dimidia duratio, primus numerus significat horas, secundus minuta. Est autem dimidia duratio tempus à principio Eclipsis vsque ad medium, vel à medio vsque ad finem eiusdem Eclipsis, vt anno 1547. dimidia duratio Eclipsis primæ est 1. hora, 30. minuta: secundæ Eclipsis 1. hora, 40. minuta: tertiæ Eclipsis Solis videlicet 1. hora, 8. minuta.

PROPOSITIO XI.
Qua hora atque minuto incipiat Eclipsis quæpiam vel desinat, & quanta sit tota eius duratio à principio vsque ad finem, inuestigare.

SI vis habere principiũ Eclipsis, qua videlicet hora & mi. incipiat, tunc subtrahe tempus dimidiæ durationis in horis ac minutis, sub tempore mediæ Eclipsis positũ, à tempore mediæ Eclipsis in horis & minutis, & habebis tempus principij Eclipsis: pro fine autem, quando videlicet desinat, adde dimidiam durationem tempori mediæ Eclipsis, & habebis tempus in horis ac minutis, quando desinat Eclipsis. Vt anno 1547. dimidia duratio primæ Eclipsis est 1. hora, 30. minuta, quæ si subtrahitur à tempore mediæ Eclipsis, s. à 10. horis, 28 mi. remanent 8. horæ & 58. mi. quod est tempus principij Eclipsis: si verò 1. ho. 30. minuta addo ad tempus mediæ Eclipsis, producentur 11. horæ cum 58. minutis, tempus finis Eclipsis: si dimidia duratio duplatur, erunt 3. horæ integræ, tempus scilicet totius durationis Eclipsis à principio vsque ad finem. Simili modo agendum erit in reliquis Eclipsibus. Et erit principium secundæ Eclipsis hora 3. minu. 6. finis verò hora 6. mi. 36. tota duratio 3. horæ, & 20. minuta. Tertiæ verò Eclipsis principium est hora 1. minu. 1. finis autem hora 3. minu. 17. tota duratio 2. horæ, 16. minuta.

PROPOSITIO XII.

An pars Septentrionalis vel Meridionalis in particulari Eclipsi obscurabitur, demonstrare.

IN circulo designante Eclipsim pars superior est Septentrionalis, inferior Meridionalis, sinistra Orientalis, dextra Occidentalis: si igitur superior pars circuli fuerit obscura, tunc corpus luminaris à parte Septentrionali eclipsabitur: si autem inferior, tunc à parte Meridiana: vt anno 1547. primæ Eclipsis superior pars obscurabitur, similiter tertiæ Eclipsis, ergo pars corporis Septentrionalis obscurabitur: secundæ autem Eclipsis inferior pars obscurabitur, quæ est pars Meridiana.

PROPOSITIO XIII.

In Eclipsi Lunæ vniuersali cum mora principium & finem totalis obscurationis supputare.

QVando accidit Eclipsis Lunæ vniuersalis cum mora, & id fit cùm plura puncta quàm 12. notantur super Eclipsim, quære per 9. huius tempus moræ Lunæ sub tenebris, & tale tempus dimidia, & habebis moram dimidiam, tempus scilicet à principio totalis obscurationis vsque ad medium Eclipsis, vel à medio vsque ad finem totalis obscurationis. Talem itaque moram dimidiam subtrahe à tempore mediæ Eclipsis, & emerget principium totalis obscurationis: si verò ea dimidia mora additur ad medium Eclipsis, exibit tempus finis totalis obscurationis. Verbi gratia, Anno 1548. fit Eclipsis Lunæ vniuersalis cum 18. punctis, quibus per 9. huius respondet mora Lunæ sub tenebris vna hora, minu. 33. Ista mora dimidiata facit 46. minu. 30. secunda, tempus autem mediæ Eclipsis est 11. hor. 25. minu. ab illo itaque subtrahe tempus dimidiæ moræ, relinquitur principium totalis obscurationis scilicet hora 10. minu. 38. secũ. 30. cùm scilicet Luna tota priuatur lumine: at si addatur talis dimidia mora ad tempus mediæ Eclipsis, habetur tempus finis totalis obscurationis, quando scilicet incipit iterum apparere, & fit hora 12. minu. 11. secund. 30.

PROPOSITIO XIIII.

Qui Planetæ anno proposito regressum patiantur, videre.

REgreditur Planeta, quando mouetur contra ordinem signorum ac graduum: progreditur verò, cùm secundum ordinem signorum ac graduum incedit. Saturnus & Iupiter singulis annis regrediuntur, Mars & Venus non omni anno, Mercurius verò in anno ad minus ter fit retrogradus, Sol & Luna nunquàm regressum patiuntur. Omnes Planetæ habentes epicyclos, hi regrediuntur excepta Luna, causa habetur in Theorica de passionibus Planetarum. Qui autem Planetæ aliquo anno proposito regressum patiantur, habes notatos sub picturis Eclipsium, qua die mensis incipiant aut desinant regredi. Omnes autem quinque Planetæ regrediuntur excepto Marte anno 1547. Reperies etiam in Ephemeridibus in sua columnula illis diebus, in quibus incipiunt regredi, literam R, per quam denotatur retrogradatio: vbi verò desinant regredi, è regione diei eiusdem ponitur litera D. per quam significatur directio, quòd incipit iterum secundum ordinem signorũ & graduum moueri.

PRIMÆ PARTIS
commentariorum
finis.

SECVNDA PARS COMMENTARIORVM AND. PERLACHII.

PROPOSITIO I.

Nomina Planetarum, Signorum, & aſpectuum per characteres exprimere.

CVm frequens vſus ſit nominum Planetarum, Signorum, & aſpectuum in Ephemeridibus, ac difficile ſit integra nomina inter numeros motuum inſerere, primi huius artis autores nomina per characteres, naturis Planetarum, Signorum, & aſpectuum appropriatos, ſignificare voluerunt.

Saturnum quidem per falcem inſtrumentum ruſticum denotabant, vt ſic ♄, vel ſenem pingebant baculo innixum in hunc modum ♄.

Iouem verò, qui Græcè vocatur ζεὺς, per primam literam ζ ſignificare volebant, alij verò per ſceptrum ſic ♃, quòd eius natura ſit, homines, quibus dominatur, euehere ad magnas dignitates. Alij verò per binarium ſignificare voluerunt cum virgula, ſic ♃, quòd binarius numerus ſit numerus fortunæ, vnde ipſe Planeta Iupiter maior fortuna apud Aſtrologos nominatur.

Martem autem, cùm ſit ſignificator bellorum & inſtrumentorum bellicorum, depinxerunt corpore rotundo & telo adiuncto, ſic ♂.

Soli, cùm ſemper appareat in cœlo in forma rotunda & circulari, attribuerunt etiam figuram circularem cum puncto in medio, ſic ☉.

Venerem verò denotarunt per imaginem puellæ cinctam inferius, ſic ♀.

Mercurium item per imaginem iuuenis cincti, geſtantis petaſos in galero, ſic ☿.

Signorum nomina per characteres illis à natura conuenientibus, notificare.

Arietem

Arietem itaque, cùm ſit animal cornutum, per duo cornua denotarunt, ſic ♈.

Taurum verò, cùm etiam ſit animal cornutum, repræſentarunt cum capite cornuto, ſic videlicet ♉, ad differentiam Arietis, qui per ſola cornua denotatur.

Geminos autem, cùm duo pueri pinguntur ſeſe amplectentes manibus & pedibus, repræſentare voluerunt per duo corpora ♊ ſuperius & inferius lineis coniuncta, quæ ſignificant manus & pedes, vt ſic ♊.

Cancer idem per ſua cornua inuerſo tamen modo ordinata ſignificatur, vt ſic ♋, cùm Sol in eo ſigno motu ſuo proprio inuertitur, & recedere incipit à zenith noſtro.

Leo cùm pingitur cum cauda incuruata, per caudam ſuam repræſentatur, vt ſic ♌.

Virgo denotatur per tres lineas plicas retro in dorſo ſignificantes, cum linea curua manum repræſentante, qua illas plicas tenet vel eleuat, ſic ♍.

Libra per ſuperiorem partem inſtrumenti libræ ſignificatur, vt ſic ♎.

Scorpium, cùm caudam habeat nodoſam & in fine aculeum, repræſentare voluerunt per tres lineas paruas ſibi coniunctas, & vltimam incuruatam per modum aculei, ſic ♏.

Sagittarium autem per ſuam formam, ſagittam videlicet, denotarunt, ſic ♐.

Capricornus cùm ſit etiam animal cornutum, pingitur cum cauda piſcea incuruata, & dederunt illi characterem cum vno cornu & cauda incuruata, ſic ♑,

Aquarius ſignificatur per duos riuulos, ſic ♒.

Piſces, cùm duo piſces pinguntur faſciola alligati, ſic quoque fecerunt duas curuas lineas, duos piſces ſignificantes, & duæ illæ curuæ lineæ lineuncula coniunguntur, faſciã intelligentes, ſic ♓.

Aſpectuum nomina per figuras illis appropriatas denotare.

COmpertum eſt, quamlibet ſtellam radios ſuos tam luminis quàm qualitatis occultè diffundere in omnem cœli partem orbiculariter. Cùm autem infiniti ſint tales radij cuiuſlibet ſtellæ, efficaciores tamen inuenti ſunt quatuor: vnus extenditur à loco ſtellæ orbiculariter per 60. gradus, alius per 90. tertius per 120. quartus per 180. & vocantur illæ diſtantiæ aſpectus

vel radiationes. Sexaginta autem gradus est sexta pars circuli, sexies enim 60. faciunt 360. gradus, ideò illam radiationem de signarunt per 6. lineas ex vno centro exeuntes, hoc modo ✳, quæ circulum in sex æquas partes partiuntur, ideò sextilem aspectum nominarunt: quando duæ stellæ distant inter se 60. grad. aspiciunt se sextili aspectu. i. distant per 6. circuli partem.

Nonaginta verò gradus est quarta pars circuli, quater enim 90. faciunt 360. gr. integrum scilicet circulum, ideò illum aspectum seu radiationem designarũt per quadratam figuram, sic □, & vocauerunt quartum, quadratum, siue tetragonum aspectum, quando enim duæ stellæ distant inter se per 90. gradus, aspiciunt se quadrato aspectu. i. distant inter se per quartam circuli partem.

At 120. gradus est tertia pars circuli, ter enim 120. faciunt 360. gr. ideò illam radiationem repręsentarunt per figuram triangularem, sic △, & vocauerunt trinum aspectum: quando duæ stellæ distant inter se per 120. gradus, aspiciunt se trino aspectu. i. distant per tertiam circuli partem.

Sed 180. gradus est medietas circuli, bis enim 180. faciunt 360. gradus, & talia duo puncta directè in circulo opponuntur, ob id illam radiationem repræsentarunt per duo corpora oppositomodo ad inuicem radios mittentia, sic videlicet ☍, & nominauerunt oppositũ aspectũ, nam directè per diametrum distant.

Coniunctio autem impropriè aspectus dicitur, cùm nulla sit stellarum distantia: dicitur enim coniunctio, cùm duæ stellæ in eodem signo, gradu atque minuto fuerint, & notatur per talem characterem ☌.

PROPOSITIO II.

Pro intellectu secundæ faciei Ephemeridum generalia quædam præmittere.

POst primam faciem Ephemeridum, in qua festa mobilia quibusdiebus quorumq; mensiũ agi soleant, quibus etiam adiũciuntur Aureus numerus, Cyclus Solaris, litera Dominicalis, indictio Romana &c. & si quod luminarium anno quopiam defecturum est, notantur. In secunda nunc facie verso iam folio Ephemeridum, sinistra videlicet, inprimis ponitur in supremo loco numerus anni, ad quem spectat Almanach, deinde sub eo nomen

men mensis cum insignioribus quibusdam nominibus Sanctorum & litera Dominicali, quoties oportet, numeroque dierum ipsius mensis in primo ordine numerorum post festa insigniora descripto, vt certo & omnibus noto tempori motus certus assignetur. Succedunt deinceps octo columnulæ, septem Planetis capitique Draconis Lunæ seruientes, quarum prima Soli, secunda Lunæ, tertia Saturno, quarta Ioui, quinta Marti, sexta Veneri, septima Mercurio, octaua capiti Draconis Lunæ dicatur, vt characteres Planetarũ in capite cuiuslibet columnulæ indicant. Vnaquæque etiam columnula duplicem numerorum ordinem habet, primus est gr. secundus mi. qui cuius sint signi, character proximè suprapositus admonet: singulæ prætereà columnulæ quinque Planetarum binas tenent literas in capitibus, pro denominatione latitudinum deseruientes, quæ ad calcem cuiusuis mensis in gradibus atq; minutis pro primo, decimo ac vigesimo die mensis suprapositi notantur, in columnulis etiã quandoq; literæ quædam scilicet A. D. S. M. occurrunt, variationem latitudinis indicantes, quæ singula suis proprijs propositionibus declarabuntur.

PROPOSITIO III.

Verum motum Solis, Lunæ, & quinq; Planetarũ, ☉ & ☾ ad meridiem cuiusuis diei mensis propositi facilimè inuenire.

QVære nomen mensis in sinistra facie Ephemeridis anni propositi, & sub nomine mensis in prima linea numerorũ, numerũ diei eiusdem mensis accipe, per quem desideras propositionis intentum, & è regione versus dextram in columnula sub charactere cuiuslibet Planetæ, verum eius motum in gradibus atque minutis inuenies eius signi, quod proximè suprapponitur, isti enim gradus ac minuta sic reperta sunt verus locus Planetæ ad meridiem, hoc est, ad horam 12. diei propositi. Locus autem caudæ Draconis Lunæ est in eodem gradu ac minuto, in quo est caput Draconis Lunæ, signi tamen oppositi Exemplum. Volo scire vera loca Planetarum, ☉ & ☾, ad vltimum diem Martij anni 1547. quæro in Ephemeride pro anno proposito nomen mensis, & sub eo mense è regione vltimi diei Martij, & est 31. inuenio hunc subscriptũ ordine numerum in octo columnulis positum, cum characteribus Planetarũ & signorum proximè suprapositorũ.

Dies	☉	☽	♄	♃	♂	♀	☿	☊
	♈	♌	♑	♐	♊	♐	♈	♑
31	19. 56	27. 57	5. 44	3. 19	13. 33	19. 55	7. 40	1. 18

Primus numerus in qualibet columnula significat gradus, secundus minuta signi suprapositi, & sic habentur veri motus 7. Planetarum & ☊.

PROPOSITIO IIII.

An Planeta sit directus vel retrogradus, videre.

PLaneta directus est, quando numerus diei immediatè sequentis est maior in gradibus & minutis, vel in minutis tantùm. Retrogradus verò, quando numerus diei immediatè sequentis in gradibus & minutis vel in minutis tantùm, minor est. Vt anno 1547. die 2. Iunij Sol est in 20. gr. 23. mi. ♊, die sequente est in 21. gr. 20. mi. cùm numerus sequentis diei est maior, erit Sol directus, Luna autem est in 9. gr. 1. mi. ♑, die sequente in 21. gr. 18. mi. qui numerus est maior, erit Luna directa. Saturnus est in 3. gr. 16. mi. die sequente est in 3. gr. 12. mi. quia numerus sequens est minor, erit Saturnus retrogradus: & sic in alijs Planetis est intelligendum, vt patet in numeris sequentibus ad diem secundam & tertiam Iunij signatis.

Dies	☉	☽	♄	♃	♂	♀	☿	☊
	♊	♑	♑	♐	♋	♉	♋	♏
2	20. 23	9. 1	3. 16	12. 28	22. 23	6. 15	5. 36	27. 58
3	21. 20	21. 18	3. 12	12. 32	23. 1	7. 17	5. 0	27. 55

Ex illis numeris facile est videre, quòd ☉, ☽, ♃, ♂, ♀, sunt omnes directi, quia sequentes numeri maiores apparent: ♄ verò, ☿, & ☊, quia sequentes numeri sunt minores, erunt retrogradi.

Cautela prima consideranda.

APparet quandoque, cùm signum variatur in columnula alicuius Planetæ, sequentem numerũ esse minorem, quandoque maiorem: quando in variatione signi sequens numerus apparet minor, Planeta est directus, quia Planeta mouetur ad proximum sequens signum, quod est secundum ordinem signorum:

rum: quando verò in variatione sequens numerus maior, Planeta est retrogradus, quia mouetur ad signum præcedens contra ordinem signorum.

Cautela secunda.

SOl & Luna nunquàm fiunt retrogradi, sed semper secundum ordinem signorum mouentur in Zodiaco, reliqui autem Planetæ omnes fiunt retrogradi. ♄ & ♃ singulis annis, ♂ & ♀ non singulis annis, ☿ autem singulis annis ad minus ter, vt in prima facie Ephemeridum cuiuslibet anni est videre. Ob id vt Ioannes de monte regio admonet, locos regressionum Planetarum rubro lineamento notare debemus, vt eo promptius videre possimus, an Planeta sit directus vel retrogradus.

PROPOSITIO V.

Motum diurnum cuiusuis Planetæ quolibet die elicere.

MOtus diurnus Planetæ dicitur, quantum Planeta in gradibus & minutis, vel in minutis tantùm, in die naturali vel in spacio 24. horarum, aut à meridie diei propositi ad meridiem diei immediatè sequentis mouetur. Aliter autem in Planeta directo, aliter in retrogrado elicitur motus diurnus. Planeta igitur existente directo, subtrahe motũ Planetæ diei propositi à motu diei immediatè sequentis, incipiendo à minutis: si minuta subtrahi nequeunt, mutua vnũ gradũ à gradib. qui valet 60. mi. quæ adde minutis, à quibus subtractio fieri nequit: si etiam in gradibus subtractio fieri non posset, vt accidit, quando signum variatur in Planetis directis, mutua vnum signum, quod valet 30. gra. & deinde fiat subtractio, & quicquid in residuo manserit in gradibus & minutis, vel in minutis tantùm, dicitur motus Planetæ diurnus pro die proposito. Si vero Planeta fuerit retrogradus, contrario modo est agendum, motus videlicet diei sequentis subtrahendus est à motu diei propositi, & si minuta ac gradus subtrahi non possent, procedendum erit vt dictum est de Planeta directo, & elicietur motus Planetæ retrogradi. Accipiatur exemplum, quod in præcedenti propositione est positum ad secundam diem Iunij, Anni 47.

Dies	☉ ♊	☽ ♑	♄ r. ♈	♃ ♓	♂ ♋	♀ ♉	☿ r. ♋	☊ ♏
2	20. 23	9. 1	3. 16	12. 28	22. 23	6. 15	5. 36	27. 58
3	21. 20	21. 18	3. 12	12. 32	23. 1	7. 17	5. 0	27. 55
	0. 57	12. 17	0. 4	0. 4	0. 38	1. 2	0. 36	0. 3

Motus diurnus planetarum in 24 horas inuenis

Exemplum, vbi fit variatio signi in Planeta directo & retrogrado, die 8. Iunij.

	☽ ♒	☿ ♋
Dies propositus, 8	25 36	0 27
Dies sequens 9	9 ♓ 16	29 ♊ 24
Motus diurni.	13 40	1 2

PROPOSITIO VI.

Motum Planetæ in vna hora inuenire.

MOtus Planetæ in vna hora triplici via indagari potest. Primò si motus diurnus eiusdem Planetæ per 24. diuidatur, quotiens ostendit motũ in hora Planetæ propositi, si quid manserit in residuo, resolue ad minorem proximam denominationem, & productũ diuide per 24. & habebis in quotiente fractionem eiusdem denominationis, quam diuisisti. Exempli gratia. Motus diurnus Solis in præcedenti propositione elicitus est 57. mi. istum numerum diurnum diuido per 24. quotiens est 2. mi. in residuo manent 9. minuta, quæ resoluo ad secunda, 9. multiplicando per 60. productum est 540. quod diuido per 24. vt prius, offeruntur in quotiente 22. secunda, remanent in residuo 12. secunda, quæ resoluo per 60. ad tertia, productum est 720. ter. quotiens est 30. ter. dico igitur Solis motum in hora, quando motus diurnus est 57. mi. 2. mi. 22. secund. 30. ter. Item motus Lunæ diurnus est 12. gr. 17. mi. diuido per 24. horas motum diurnum, sed quia non possum diuidere 12. gradus per 24. resoluo ad minuta, erũt 720. mi. quibus addo 17. quæ sunt in motu diurno, erit numerus minutorum 737. hęc diuido per 24. quotiens est 30. mi. manent in residuo 17. mi. quæ resoluo ad secunda, erunt 1020. sec. ea diuisa per 24. quotiens est 42. sec. manent in residuo 12. secũ. quæ resoluta ad tertia, erunt 720. ter. illa diuisa per 24. quotiẽs est 30. ter. Erit itaq; motus ☽ in hora, 30. m. 42. se. 30. ter. Sic in reliquis Planetis est agendũ, & erit motus Planetarũ in hora vna, vt sequitur, ad diem secundam Iunij, Ann. 47.

Motus in hora.	☉	☽	♄	♃
	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.
	0. 2. 22. 30	0. 30. 42. 30	0. 0. 10. 0	0. 0. 10. 0
	♂	♀	☿	☊
	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.
	0. 1. 35. 0	0. 2. 35. 0	0. 1. 30. 0	0. 0. 7. 30

Idem alia via inquirere.

EX sequenti tabella potes sine labore motum Planetæ in hora inuenire. Habito motu diurno Planetæ, cuius motum in hora habere desideras, intra in subsequentem tabellam, quærendo motum diurnum in prima linea lateris sinistri, & è regione ad dextram eiusdem tabulæ, minuta & secunda, vel se. & ter. motũ scilicet Planetæ in hora, Planetæ propositi, hac tamen consideratione obseruata, si gradus habuerit motus diurnus, & cum gradibus quæsiueris motum in hora, primus numerus ostendet mi. alter sec. & si cum minutis motus diurni quęsiueris, primus erit sec. alter ter. iuxta denominationem titulorum in capite tabellæ positorum.

Tabula motus vnius horæ.

g.	m.	se.		g.	m.	se.		g.	m.	se.		g.	m.	se.
m.	se.	te.		m.	se.	te.		m	se.	te		m.	se.	te.
1	2	30		16	40	0		31	77	30		46	115	0
2	5	0		17	42	30		32	80	0		47	117	30
3	7	30		18	45	0		33	82	30		48	120	0
4	10	0		19	47	30		34	85	0		49	122	30
5	12	30		20	50	0		35	87	30		50	125	0
6	15	0		21	52	30		36	90	0		51	127	30
7	17	30		22	55	0		37	92	30		52	130	0
8	20	0		23	57	30		38	95	0		53	132	30
9	22	30		24	60	0		39	97	30		54	135	0
10	25	0		25	62	30		40	100	0		55	137	30
11	27	30		26	65	0		41	102	30		56	140	0
12	30	0		27	67	30		42	105	0		57	142	30
13	32	30		28	70	0		43	107	30		58	145	0
14	35	0		29	72	30		44	110	0		59	147	30
15	37	30		30	75	0		45	112	30		60	150	0

In hac tabula quæro motum diurnum Solis 57 mi. & è regione inuenio 142. secund. 30. ter. quæ faciunt 2. mi. 22. sec. 30. ter. pro motu Solis in hora, vt in priori modo inuentum est. Motus diurnus Lunæ 12. gr. 17. minu. è regione graduũ 12. ponuntur 30. mi. 0. sec. è regione 17. mi. inuenio 42. secũ. 30. ter. erit motus Lunæ in hora 30. mi. 42. se. 30. ter. vt prius, & ita in cæteris Planetis motus in hora quærendus est, & idem sicut prius, motus Planetæ in hora per tabellam deprehẽdetur.

Quod præcedentes duo modi docuerunt, alia adhuc via faciliori deprehendere.

HAbito motu diurno Planetæ, cuius motum in hora desideras, eum duplica, & duplato adde medietatem motus diurni, & productum motum Planetæ in hora ostendet, sola denominatione variata per vnam differentiam denominationis: Si enim motus diurnus sunt gradus, fiet primus numerus fractionis minuta & secunda: si verò minuta, tunc primus numerus est secũ. alter tertia, & ita consequenter. Vt si motus Solis diurnus est 57. illum duplico, producitur 114. huic producto addo medietatem motus diurni, scilicet 28. minu. 30. sec. productum erit 142. sec. 30. ter. quia motus diurnus est minuta, productũ erit secund. Si reducuntur ad minuta, faciunt 2. minu. 22. sec. vt in prioribus duabus vns inuentum est. Item motus Lunæ diurnus est 12. gr. 17. mi. duplatus facit 24. gr. 34. mi. medietas motus diurni est 6. gr. 8. mi. 30. sec. si addantur ad duplatum, productum est 30. 42. 30. Quia motus diurnus habet denominationem graduum, erit producti denominatio minu. erit ergo motus Lunæ in hora 30. mi. 42. sec. 30. ter.

PROPOSITIO VII.

Verum locum Solis, Lunæ, & quinque Planetarum, ☉ & ☾, ad quamcunq; diei horam siue momentũ supputare.

MOtus Planetarum tantùm ad meridiem. i. ad horam 12. diei sunt adamussim supputati, at corpora cœlestia sunt in continuo motu, ergo quouis momento erunt in alio atq; alio

loco

loco siue puncto Zodiaci. In quo autē puncto Zodiaci sint, quouis momento proposito, duplici via inuestigari possunt. Prima via est per motum Planetæ in hora, vt propositio 6. docet. Is motus in hora multiplicandus est per numerum horarum propositarum post meridiem, & productū est addendum ad motum eiusdem Planetæ in meridie scriptum, si est directus, aut ab eo subtrahendum, si est retrogradus: quicquid igitur additione aggregaueris, vel subtractione residuaueris, erit verus locus Planetæ ad horam tibi propositam. Assumatur exemplū ad secundam Iunij diem, ad quam motus Planetarum per precedentem in vna hora sunt supputati, & volo motus eorundem Planetarum habere ad horam 6. pomeridianam, quæro inprimis quantū quisque moueatur in 6. horis motu proprio, multiplico igitur cuiuslibet Planetæ motum in hora per 6. scilicet horas propositas, & habebitur motus vt sequitur.

Motus in 6. ho	☉	☽	♄ r.	♃
	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.
	0. 14. 15. 0	3. 4. 15. 0	0. 1. 0. 0	0. 1. 0. 0
	♂	♀	☿ r.	☊
	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.
	0. 9. 30. 0	0. 15. 30. 0	0. 9. 0. 0	0. 0. 45. 0

Habito motu Planetarum, quantum quisque motus sit proprio motu in horis propositis scilicet sex, addo cuiuslibet Planetæ motum in horis propositis ad motum in meridie secunda die Iunij positum, si est directus, vel subtraho ab eodem motu, si est retrogradus, & habebitur verus Planetæ motus in signis, grad. & minutis ad horam 6. pomeridianam diei 2. Iunij, vt sequitur.

	☉	☽	♄	♃
	♊	♐	♑	♓
	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.
	20. 37. 15. 0	12. 5. 15. 0	3. 15. 0. 0	12. 29. 0. 0
	♂	♀	☿	☊
	♋	♉	♋	♏
	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.	gr. mi. se. te.
	22. 32. 30. 0	6. 30. 30. 0	5. 27. 0. 0	27. 57. 15. 0

Alia via est per regulam Detri, ponendo pro primo numero 24. horas, pro secundo motum diurnum Planetæ, cuius motum desideras, pro tertio tempus ipsum pomeridianum, ad quod motum Planetæ habere volueris, deinde multiplicando secundum per tertium, vel econtrà, & productum diuisum per primū, quo-

tiens ostendit, quantum Planeta sit motus proprio motu in proposito tempore pomeridiano, quod deinceps est addendum ad motum in meridie scriptum, si directus Planeta fuerit, vel subtrahendum ab eo, si retrogradus fuerit, & habebis, vt prius, verum motum Planetæ. Exemplum de Sole. Volo motum Solis inuenire ad 6. horã pomeridianam diei 2. Iunij, pono pro primo numero 24. hor. pro secundo motũ diurnũ Solis, scilicet 57. mi. pro tertio tempus ipsum pomeridianum, scilicet horam sextam, multiplico secundum per tertium, productum est 342. mi. quæ diuido per primum scilicet 24. horas, in quotiente proueniunt 14. mi. 15. sec. vt in priori exemplo, quod deductum est per motum Solis in hora: si ille motus additur ad motum in meridie positum, elicitur verus locus Solis, vt prius, 20. gr. 37. mi. 15. sec. signi ♊. Si accideret numerũ secundũ aut tertium aut vtrumque esse diuersarum denominationũ, vt plerunque fit in motu Lunæ, in quo pro motu diurno sæpe gradus & minu. veniunt, quicunq; igitur numerorum fuerit diuersarum denominationũ, resoluendus est ad vnam denominationẽ, & deinde procedendũ iuxta regulam, & habebis intentũ. Potest etiam sine reductione in vnam denominationem absolui. Iste aũt modus presupponit Algorithmum physicũ, vt quis intelligat denominationem, quæ prouenit ex multiplicatione & diuisione. Exempli gratia. Volo motum ☽ supputare ad hor. pomeridianam 6. mi. 30. diei 2. Iunij, quo motus diurnus est 12. gr. 17. mi. Quia secundus & tertius sunt diuersarum denominationũ, reduco vtrumq; ad eandẽ, & erit primus numerus 24. ho. secundus 737. mi. tertius 390. ex multiplicatione secundi in tertiũ, vel econtrà, producuntur 287430. sec. quæ diuisa per primũ scilicet 24. hor. in quotiente proueniũt 11976. sec. quę resoluta ad grossiores denominatiões, faciũt 3. gr. 19. m. 36. se. quæ addita ad motũ in meridie scriptũ scilicet 9. gr. 1. mi. erit verus locus Lunæ ad tempus pomeridianum propositum, 12. gr. 20. mi. 36. sec. quod fuit propositum. Absq; reductione potest fieri per tabellam manualem siue proportionalem: vt

Primus,	Secundus,	Tertius,	productum.			
ho.	G. M.	ho. M.	Sig.	Gr.	Mi.	Se.
24.	12. 17.	6. 30.	1.	12.		
				6.	0.	
				1.	42.	
					8.	30.
			1.	19.	50.	30.
			quotiens			
				Gr.	Mi.	Se. Ter.
				3.	19.	36. 15.

Verus locus ☽ ad horam 6. mi. 30. pomeridianam diei 2. Iunij.

Gr.	Mi.	Sec.	Ter.
12.	20.	36.	15. ✠.

PROPOSITIO VIII.

Verum locum Lunæ ad dies veros, qui inæquales ſunt, reducere.

MOtus Planetarum in Ephemeridibus ſunt ad dies ęquales ſupputati, ac ſi dies ſemper eſſet 24. horarum præciſè, at dies naturales ſunt maiores pauxillo vltra 24. horas: quantitas autem illa quamuis ad ſenſum non pateat, ratio tamen id docet, & indies ſimul collecta plus dimidia hora colligitur, quo dies inæqualis poteſt excedere diem æqualē. Et licet variatio motus inter diem æqualē & inęqualē in alijs planetis ſit quaſi inſenſibilis, in Luna tamen ſenſibilis eſt propter velocitatem motus eius, ob id in ſola Luna iſta variatio conſideratur. Qui igitur verū locum Lunæ ad dies veros, qui ſunt inæquales, reducere voluerit, ingrediatur in tabellam ſequentem cum ſigno & gradu Solis, quærendo ſignum in capite, gradum autem in latere ſiniſtro, & in angulo communi ſunt minuta differentiæ temporis inter æqualem & inęqualem diē reſpondentia, & illa demenda ſunt ex motu vero per propoſitionem 3. aut 7. inuento, & habebis verum locum Lunæ ad dies veros, qui inæquales ſunt, ſupputatum.

Tabula motus ☽ ad inęqualitatē dierū naturaliū.

G.	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
0	4	9	10	8	6	8	13	16	15	8	2	0
2	4	9	10	8	6	8	13	16	14	8	1	0
4	5	9	10	8	6	8	13	16	14	7	1	0
6	5	9	10	8	6	9	13	16	14	7	1	1
8	5	10	10	7	6	9	14	16	13	6	1	1
10	6	10	10	7	6	9	14	16	13	6	0	1
12	6	10	10	7	6	9	14	16	13	5	0	1
14	6	10	10	7	6	10	15	16	12	5	0	1
16	7	10	10	7	6	10	15	16	12	4	0	2
18	7	10	9	6	7	10	15	16	11	4	0	2
20	7	10	9	6	7	11	15	16	11	3	0	2
22	8	10	9	6	7	11	16	16	10	3	0	3
24	8	10	9	6	7	11	16	16	10	3	0	3
26	8	10	9	6	7	12	16	15	9	2	0	3
28	8	10	8	6	7	12	16	15	9	2	0	4
30	9	10	8	6	8	13	16	15	8	2	0	4

Exempli gratia. Motus Lunæ in præcedenti exemplo est supputatus ad horam sextam, mi. 30. post meridiem diei æqualis 2. Iunij, si volo habere ad diem verum, qui inæqualis dicitur, intro in tabellam propositam cum signo & gradu Solis diei propositi, scilicet cum 20. gr. ♊, & inuenio in angulo communi 9. mi. quæ subtrahere debeo ex motu Lunæ ad diem 2. Iunij, hor. 6. mi. 30. pomeridian. supputato, & erit verus locus Lunæ ad tempus prædictum diei inæqualis, 12. gr. 11. mi. 36. sec. 15. ter. ♃.

PROPOSITIO IX.

Differentiam in tempore diei cuiuscunque æqualis ac inæqualis, quæ æquatio dierum nuncupatur, inuestigare.

ACcipe gradũ Solis ad diem propositũ, cuius scire desideras differentiam à die vera & inæquali, & intra cum signo & gr. Solis in tabellam præcedentem motus Lunæ ad inæqualitatem dierum naturalium, & minuta in angulo communi reperta duplica, ea ostẽdent differẽtiã diei ęqualis & inæqualis in tẽpore: vt in præcedenti exẽplo reperta sunt 9. minuta cũ gradu Solis in tabella præfata, ea duplicata faciunt 18. mi. quæ est differentia diei æqualis propositi & diei inæqualis, tanta est ea die æquatio diei naturalis æqualis & inęqualis: qui præcisius in minutis & secundis eam æquationem dierũ habere voluerit, quærat tabulam æquationum dierum in Tabulis Eclipsium Georgij Purbachij. Qui igitur ita curiosus esse voluerit, & ad vnguẽ motũ Lunæ ad diem verum & inæqualem supputare instituerit, quærat motum Lunæ per tertiam vel septimam propositionem, quantũ sit mota in tempore illius differentiæ dierum, & ille motus subtrahendus est à motu ad diem æqualem supputato. Tabella enim illa præsupponit, ac si singulis diebus Luna moueretur 12. tantùm gradus, cùm tamen quandoque minus, quandoque plus in die naturali moueatur: cùm minus quàm 12. gra. in die naturali Luna mouetur, minor erit motus Lunæ quàm tabella præ se fert: si verò plus quàm 12. gr. mouetur, maior erit: & ita etiam cuiuscunque Planetæ motus supputari potest ad illam differentiã diei æqualis & inæqualis, & talem motum subtrahere, sicut in Luna factum est, qui tanta voluerit vti præcisione.

Pro-

PROPOSITIO X.

Tabellæ regionum vtilitatem ac vſum oſtendere.

SOlem citius orientalioribus oriri & occidere, quàm occidentalibus locis, omnibus mediocriter doctis, qui parùm ſphęræ principia didicerũt, conſtat: per conſequens etiam citius illis fit meridies, quibus citius oritur. Meridies autem fit, cùm Sol regionis, ciuitatis, aut alterius loci meridianum circulum motu primi mobilis attigerit: meridianus autem circulus ſemper tranſit per polos mundi & zenith regionis, ciuitatis, aut alterius loci, & cùm zenith ipſum locorum ſit inuariabile, erit circulus meridianus cuiuſque loci etiam inuariabilis & immobilis. Loca autem, quorum zenith diſtant ab occaſu in ortum vel econtrà, dicuntur longitudine differre: longitudo enim locorum accipitur ab occidente ab vltimo meridiano videlicet terræ habitabilis in occidente, qui tranſit per Inſulas fortunatas, & numeratur verſus orientem in Æquinoctiali: latitudo verò regionis eſt diſtantia zenith ab Æquinoctiali: & quilibet locus habet proprium ſuum meridianum, & arcus Æquinoctialis interceptus inter duos meridianos dicitur longitudo duorum locorum propoſitorum. Quorum autem zenith ſunt in vno meridiano, non differunt longitudine, ſed ſola latitudine in Septentrionem & Meridiem, vel econtrà. Quo autem momento accidit ☌, ☍, □, &c. in vno loco, eo fit in vniuerſo mundo, ſed illud tamen momentum in diuerſis locis habet diuerſam denominationem, eò quòd quibuſdam citius Sol oritur, & citius fit meridies, quibuſdam verò tardius. Quanto autem tempore cuipiam ciuitati aut alteri loco citius aut tardius fiat meridies, quàm ciuitati tubingenſi, ad cuius meridianum omnes motus & tempora ☌, ☍, □, & Eclipſium ſunt ſupputata, ſubſequens tabella regionum, prouinciarum, & oppidorum inſigniorum Europæ docet, in qua inprimis ponuntur nomina regionum, & ciuitatum inſigniorum Europæ, deinde è regione ſub titulo Tempus, ponuntur horæ & minuta, vel minuta tantùm, quæ eſt differentia temporis addenda vel minuenda à tempore pro meridiano Tubingenſi ſupputato: in ſequenti columna ſub charactere Lunæ ponuntur minuta Lunæ, quæ Luna perambulat in tempore prædicto: in vltima columnula ponuntur gradus Polares, quantum in regione vel ciuitate propoſita polus eleuatur.

Tabula regionum, prouinciarum, & oppidorum insigniorũ Europæ, ad meridianum Tubingeñ. rectificata.

Nomina.	Tẽpus h. m	☽ mi.	P. G.	Nomina.	Tẽpus h. m	☽ mi.	P. G.
Hybernia ís.	M 1.11	A 35	59	Prunsuiga	A 0.13	M 6	53
Scotia	M 0.31	A 15	59	Magdeburgũ	A 0.20	M 10	54
Oxonium	M 0.46	A 23	53	Erfordia	A 0.11	M 5	51
Compostellũ	M 1.35	A 47	45	Lipsia	A 0.17	M 8	51
Lysibona	M 1.35	A 47	41	Ingolstadium	A 0. 9	M 4	48
Toletum	M 1.19	A 39	41	Norimberga	A 0. 5	M 2	49
Corduba	M 1.21	A 40	38	Ratisbona	A 0.11	M 5	48
Cęsar Augu.	M 1. 1	A 30	42	Vlma	A 0. 3	M 1	48
Rothomagꝰ	M 0.37	A 18	50	Praga	A 0.23	M 11	50
Parrhisiꝰ	M 0.24	A 12	48	Vratislauia	A 0.37	M 18	51
Lugdunum	M 0.25	A 12	45	Cracouia	A 0.51	M 25	51
Burdigala	M 0.46	A 23	45	Caschouia	A 0.55	M 27	50
Auinio	M 0.27	A 13	44	Buda	A 0.52	M 26	47
Tolosa	M 0.37	A 18	43	Segnia	A 0.37	M 18	45
Viẽna puin.	M 0.27	A 13	44	Viẽna Pãno.	A 0.25	M 12	48
Massilia	M 0.23	A 11	43	Patauia	A 0.13	M 6	48
Prugis	M 0.29	A 14	53	Salzeburgũ	A 0. 9	M 4	47
Gandauum	M 0.20	A 10	53	Iudeburgum	A 0.13	M 6	47
Traiectum	M 0. 8	A 4	53	Villacum	A 0.14	M 7	46
Colonia Agr.	M 0. 9	A 4	52	Brixina	A 0. 7	M 3	45
Mechlinia	M 0.20	A 10	53	Venetiæ	A 0.13	M 6	45
Moguntia	M 0. 7	A 3	50	Ferraria	A 0. 9	M 4	44
Herbipolis	M 0. 1	A 0	50	Ancona	A 0.19	M 9	44
Argentina	M 0. 7	A 3	49	Roma	A 0.23	M 11	42
Basilea	M 0. 5	A 2	48	Tarentum	A 0.45	M 22	40
Constantia	M 0. 3	A 2	47	Brundusium	A 0.49	M 24	39
Tubinga	0. 0	0	48	Neapolis	A 0.37	M 18	41
Augusta Vĩd	A 0. 6	M 3	47	Florentia	A 0.11	M 5	43
Dacia	A 0.33	M 16	58	Mediolanũ	M 0. 1	A 0	44
Suetia	A 0.59	M 29	63	Taurinum	M 0. 3	A 1	43
Lubecum	A 0.15	M 7	56	Genua	M 0. 1	A 0	43
Dantiscum	A 0.55	M 27	56	Sardinia	A 0. 1	M 0	38
				Sicilia	A 0.31	M 15	37

PROPOSITIO XI.

Differentiam temporis inter meridiem Tubingensem & locorum in tabella regionum positorum, scisitari.

CVm ob diuersitatem meridianorũ fit etiam diuersitas temporis meridiei, cùm scilicet Sol circulum meridianũ alicuius loci possederit: quanto igitur tempore citius tardiusúe fiat meridies in aliquo loco in tabella expresso, quàm Tubingæ, ita addisces: Quære locum tuum propositum, de quo scire vis, an illic citius aut tardius fiat meridies, quàm Tubingæ, & è regione sub titulo Tempus, inuenies horas & mi. aut minuta tantùm, quãta sit differentia in tempore vnius temporis meridiei ab altero: si ad sinistram ponitur nota A, designat locum talem esse Orientaliorem, quàm Tubingam, ergo in prædicto tempore meridies loci propositi præcedit meridiem Tubingensem: si verò ponitur nota M, ostendit talem locũ esse Occidentaliorem Tubinga, & in eo loco tardius fieri meridiem quàm Tubingæ. Exemplũ. Volo scire an Viennæ Austriæ citius aut tardius fiat meridies quàm Tubingæ, quæro Viennã Austriæ in tabella regionũ, & inuenio è regione sub titulo Tempus, o. ho. 25. mi. dico meridiẽ differre à meridie Tubingensi 25. minutis horæ, quia verò habet à sinistris notam A, elicio Viennam Orientaliorẽ esse Tubinga, & meridiẽ Viennensem præcedere Tubingensem in 25. mi. Volo etiam scire an Parrhisijs, quę est ciuitas regalis Galliæ, citius aut tardius fiat meridies quàm Tubingæ, quęro locum eius in tabella regionum, & è regione sub titulo Tempus, inuenio o ho. 24. minuta, intelligo meridiem Parrhisiensem differre à meridie Tubingensi in 24. mi. horæ, cùm autem litera M, ponitur à sinistris, elicio eam ciuitatem esse Occidentaliorem Tubinga, & meridiem Parrhisiensem sequi meridiem Tubingensem in 24. minutis horæ.

PROPOSITIO XII.

Tempora ♂, ☿, ☐, & Eclipsium ad quemuis alium meridianum siue locum in tabula regionum expressum, rectificare.

Cùm

CVm omnis supputatio tam motuum Planetarum, quàm temporum ☌, ☍, □, & Eclipsium ad meridianum Tubingensem sit facta, vt autem & cæteræ regiones, ciuitates, aut loca insigniora suis Ephemeridibus vti possent, fecit tabellam regionum, qua motus & tempora ad alios meridianos reduci possent. Volens igitur tempus alicuius ☌, ☍, □, aut Eclipsis rectificare ad alium locum in tabella regionum notatũ, quære talem locum aut viciniorem, si locus propositus non reperiatur in tabella, & tempus è regione in horis & minutis, vel minutis tantùm, sub titulo Tempus repertum, adde tempori ☌, ☍, □, si à sinistris ponitur nota A, aut minue, si ponitur nota M, & habebis tempus ☌, ☍, □, aut Eclipsis rectificatum ad locum tuum propositum. Exemplum. Volo rectificare tempus ☌, quod fit die 17. Iunij ho. 1. mi. 22. pro meridiano Tubingensi supputatum, ad meridianum Viennensem, quæro è regione Viennæ Pannoniæ, tempus, & inuenio horam 0. mi. 25. cum nota A. addo igitur tempus inuentum ad tempus Tubingense, & habeo horam 1. mi. 37. verum tempus coniunctionis pro meridiano Viennensi. Pro meridiano autem Parrhisiensi, quia è regione ponuntur 24. mi. horæ cum nota M, ideò minuo 24. mi. ex tempore prædicto, & remanet hora 0. minu. 58. verum tempus ☌ pro meridiano Parrhisiensi.

PROPOSITIO XIII.

Verum locum Lunæ ad quemuis meridianum siue locũ in tabella regionum positum, supputare.

QVære locum propositum in tabella regionum, aut viciniorem, ad cuius meridianum verum locum Lunæ desideras, & è regione sub charactere Lunæ inuenies minu. quę Luna perambulat in tempore iuxtà posito, quæ minuta sunt addenda ad verum motum Lunæ per 8. propositionem rectificatum, si à sinistris ponitur nota A, aut minuenda ex eo, si habet notam M, & habebis verũ motũ Lunæ ad meridianũ tui propositi loci rectificatũ. Exemplum. Locus Lunæ rectificatus per 8. propositionem, ad meridianum Tubingensem est 12. gr. 11. mi. 36. secũd. 15 ter. ♑, volo talem locum rectificare ad meridianum Viennensem, quæro Viennam in tabella regionum, & è regione sub charactere ☽ inuenio 12. minuta cum nota M à sinistris, minuo

igitur

igitur 12. mi. ex præfato loco, relinquitur verus locus Lunæ ad meridianum Viennensem 11. gra. 59. minu. 36. sec. 15. ter. ♃. Ad meridianum Parrhisiensem inuenio 12. mi. cum nota A, quæ debeo addere ad præfatum locum Lunæ rectificatum pro meridiano Tubingensi, & habebitur verus locus Lunæ ad meridianũ Parrhisiensem 12. gra. 23. mi. 36. sec. 15. ter. Ista autem ratio verificandi Lunam ad reliquos meridianos ex tabella regionum, præsupponit Lunam semper moueri motu diurno 12. gra. quod tamen non fit, nam quandoq; minus quandoque plus mouetur. Qui autem ita curiosus esse voluerit, & omnimodam præcisionem motus Lunæ desiderauerit, is quærat per 7. propositionem, quantũ Luna moueatur in tempore, quod differentiam meridianorum ostendit in tabella regionum, is motus est addendus ad verum locum Lunæ per 8. propositionem rectificatum, si circa mi. motus Lunæ in tabella regionum ponitur versus sinistram nota A, aut minuendus, si nota M, & habebitur verus & præcisus motus Lunæ propter diuersitatem meridianorum supputatus. Vt in præcedenti exemplo pro vero loco ☽ ad meridianũ Viennensem oportebat subtrahere 12. mi. propter diuersitatem meridianorum ex vero loco ☽ per 8. proposit. supputato, & esset motus Lunæ precisus, si motus eius diurnus esset 12. gr. Si verò esset motus diurnus 15. gr. tunc motus ☽ in tempore diuersitatis meridianorũ scilicet 25. mi. horæ, esset 15. mi. ista essent demenda ex vero loco Lunæ per 8. propos. rectificato, & esset verus locus ☽ pro meridiano Viennen. 11. gr. 56. mi. 36. se. 15. ter. Hęc rectificandi norma propter diuersitatem meridianorũ in Luna tantũ in tabula regionũ obseruatur, & non in alijs Planetis, ob velocitatẽ motus illius: qui verò in alijs Planetis ob diuersitatẽ meridianorũ motus rationẽ obseruare voluerit, poterit per 7. propos. eo modo motũ Planetæ quærere, quantũ scilicet moueatur in tempore è regione loci positi, & talem motũ addere vel minuere prout nota iuxta mi. Lunæ admonet, & habebitur verus locus Planetæ pro meridiano proposito: id aũt maximè est obseruandũ in Sole, ♀, & ☿, cùm sunt veloces cursu, & differentia temporis inter meridianũ Tubingensem & alium locum fuerit magna.

PROPOSITIO XIIII.

Differentiam longitudinis inter meridianum Tubingensem & alterius loci in tabella regionum positi elicere.

LOngitudo regionum, ciuitatum, aut alterius loci, est arcus Æquinoctialis inter vltimum meridianum terræ habitabilis & meridianum regionis, ciuitatis, aut alterius loci interceptus. Differentia verò longitudinis est arcus Æquinoctialis inter meridianos duarum regionum, ciuitatum, aut aliorum duorum locorum interceptus. Si igitur differentiam longitudinis inter meridianum Tubingensem & alterius loci tibi propositi in tabella regionum positi, habere desideras, quære per 11. propositionem huius, differentiam temporis inter meridiem Tubingensem & loci tui propositi, & illam cõuerte in gradus Æquinoctialis, pro qualibet hora 15. gradus Æquinoctialis computãdo, & pro quibuslibet 4. minutis horæ, 1. gradum Æquinoctialis, pro quolibet minuto residuo horæ, 15. mi. Æquinoctialis, pro quolibet secund. horæ, 15. secunda Æquinoctialis, pro quatuor secundis horæ vnum minutum Æquinoctialis. Exemplum. Volo scire differentiam longitudinis inter meridianum Tubingen. & Viennensem Pannoniæ, quæro per 11. proposit. huius, differentiam temporis, & inuenio horam o. mi. 25. quam conuerto in gradus Æquinoctialis, diuido 25. mi. horæ per 4. & in quotiente veniunt 6. gr. Æquinoctialis, in residuo manet vnum minutum horæ, cui respondent 15. mi. Æquinoctialis, dico igitur differentiam longitudinis esse inter meridianum Tubingen. & Viennensem 6. gr. 15. mi. Æquinoctialis.

PROPOSITIO XV.

Differentiam longitudinis quorumcunque duorum locorũ in tabula regionum positorum, inquirere.

QVere per præcedentem propositionem cuiuslibet loci differentiam longitudinis à Tubinga, & considera diligenter notam A vel M iuxta differentiã temporis positam in tabula regionum, si vterque locus habet eandem notam A vel M, subtrahe minorem à maiore, & residuum ostendit differentiam longitudinis inter data duo loca. Exemplum. Sit vnus locus Norimberga, alter Vienna Pannoniæ, volo scire differentiam longitudinis inter hos duos meridianos, quæro per præcedentem, longitudinem cuiusq; loci, & inuenio differentiã longitudinis Viennensis 6. gr. 15. mi. Æquinoctialis, differentia verò longitudinis Norimbergen. 1. gr. 15. mi. Æquinoctialis, quia vtraq; differen-

tia

PROPOSITIO XVIII.

Quantũ eleuetur polus in aliquo loco proposito in tabella regionum posito, inuestigare.

QVæratur locus propositus in tabula regionum, aut vicinior, si locus propositus non reperiatur, & è regione talis loci in vltima columnula sub titulo Gr. Polares, habes gradus, quantum polus eleuatur supra horizontem propositi loci. Exemplum. Volo scire quanta sit poli eleuatio supra horizontem Viennensem, quæro è regione Viennæ Pannoniæ, & inuenio in vltima linea sub titulo Gr. Polares, 48. dico igitur altitudinem poli supra horizontem Viennensem esse 48. gr. tot etiam graduum est latitudo regionum. i. distantia zenith ab Æquinoctiali.

PROPOSITIO XIX.

Eleuationem poli, in quocunque terrarum loco fueris, inquirere.

AD hoc propositum oportet habere instrumentum Astrolabij, aut simplicis alicuius Quadrantis, pro capiendis altitudinibus Solis meridianis: cùm igitur in aliquo loco volueris scire quanta sit illic eleuatio poli, accipe hora 12. diei altitudinem Solis meridianam quacunque die volueris, quam serua diligenter ad partem, deinde quære in quo signo, gradu, atque minuto sit Sol hora 12. eiusdem diei, eiusdem loci Solis quære declinationem ex Tabula declinationis Solis siue graduum Zodiaci, quam etiam diligenter serua ad partem, cum sua denominatione Septentrionali aut Meridionali.

Cognita itaque altitudine meridiana loci Solis in Zodiaco, & eius declinatione, subtrahe declinationem ex altitudine meridiana, si declinatio fuerit Septẽtrionalis, aut adde eam altitudini meridianæ, si declinatio fuerit Meridionalis, & quicquid ex subtractione residuatur, aut additiõe aggregatur, erit altitudo Æquinoctialis in eo loco, in quo obseruasti altitudinem meridianam: Cognita altitudine Æquinoctialis in aliqua regione vel loco,

ea

ea dempta ex 90. residuum ostendit eleuationem poli: ab horizonte enim vsque ad zenith est quarta pars circuli. i. 90. gra. in meridiano circulo computando: Si ab ea quarta demitur altitudo Æquinoctialis, relinquitur distantia zenith ab Æquinoctiali, quæ distantia semper est æqualis arcui eleuationis poli. Exemplum. Sit altitudo Solis meridiana 63. gra. aliqua die proposita, quæro ea die locum Solis verum ad horam 12. diei, & inuenio Solem in 4. gr. ♊, quæro declinationem Solis, & inuenio 21. gr. Septentrionalem, eam declinationem subtraho ex altitudine meridiana, relinquuntur 42. gr. quæ est altitudo Æquinoctialis eius loci, in quo obseruata est altitudo meridiana: eam igitur altitudinem Æquinoctialis subtraho ex quadrante, id est, 90. gradib. & in residuo manent 48. gr. quæ est distantia zenith ab Æquinoctiali, quæ semper est æqualis eleuationi poli in aliqua regione vel loco. Si verò altitudo meridiana esset 21. gr. die aliqua proposita, & Sol esset in 26. gr. ♎, quæro eius declinationem, & inuenio declinationem 21. gr. meridionalem, eam addo ad altitudinem meridianam, & erunt 42. gr. eleuatio Æquinoctialis, quam si subtraxero ex 90. relinquuntur 48. gr. pro distantia zenith ab Æquinoctiali, quæ est æqualis eleuationi polari.

PROPOSITIO XX.

Introitum Solis in Arietem vel in aliud signũ aut punctum Zodiaci quodcunque, officio numerorum ex Ephemeridibus in horis ac minutis inquirere.

QVære in Ephemeridibus, qua die Sol sit in 29. gr. signi ♓. quod est immediatè præcedens signum ♈, & motum Solis eiusdem diei in gr. & mi. subtrahe ab integro signo ♓, id est, 30. gradibus, residuum est distantia Solis à principio ♈, deinde quære motum diurnũ eiusdem diei per 5. huius 2. partis, quem pone pro primo numero, pro secundo scribe 24. horas, pro tertio distantiam Solis à principio ♈, procedatur iuxta regulam, & quotiens, si productum per primum diuidi potest, ostendit horam: si quid remansit in residuo, per 60. multiplica, & productum iterum diuide per primum, scilicet motum diurnum, & habebis minuta horæ: si quid fuerit residuum, illud iterum per 60. multiplicetur, & per primum diuidatur, habebis sec. horæ: & ita consequenter

ſequenter procedendo, ſemper reſiduum multiplicando per 60. & productum diuidendo per primum, & habebis ſecundum ordinem fractiones temporis, donec nihil manſerit in reſiduo, vel veneris ad eam fractionẽ, quam deſideras, nam quandoq; tranſiret in infinitum. Tempori autem ſic inuento adñcienda eſt æquatio dierum iuxta doctrinam 8. propoſitionis. Exemplum. Volo ſcire, qua hora ac mi. Sol ingrediatur principium ♈, anno 1547. quæro qua die Sol ſit in 29. gr. ♓, & inuenio 10. diem Martij, & motum eiuſdem diei 29. gr. 21. mi. piſcium, & procedatur iuxta canonem.

Motus Solis 10. die Martij	29. gr.	21. mi ♓.
Diſtantia à fine piſcium		39 mi.
Motus diurnus		59. mi.
Ordo numerorum in regula Detri, 59. m.	24. ho.	39. mi.
Productio ex multiplic. ſec. in tertium		936. mi.
Quotiens primus		15. horæ.
Reſiduum		51. mi.
Productũ reſidui ex multiplicatiõe per 60.		3060. ſec.
Quotiens ſecundus		51. mi.
Reſiduum ſecundum		51. ſec.
Productũ ex multiplicatione per 60.		3060. ter.
Quotiens tertius		51. ſec.
Reſiduum tertium		51. ter.

Illa multiplicatio & diuiſio tranſiret in infinitum, cùm reſiduũ & diuiſor ſunt numeri incompoſiti, & contra ſe primi, ſufficit proceſsiſſe ad ſecunda. Dico igitur Solem ingreſſum eſſe in principium ♈, die 10. Martij hora 15. mi. 51. ſec. 51. iuxta obſeruationem dierum æqualium, cùm motus in Ephemeridibus & in alijs tabulis, omnes æquales dies præſupponant. Si vis habere tempus introitus Solis ad dies veros, qui inęquales, quære per 9. huius, differentiam diei æqualis & inæqualis. i. æquationem dierum, & inuenies 8. minuta, ea addantur ad tempus prius repertum, & erunt 15. horæ, 59. minu. 51. ſec. verum tempus ad dies inæquales rectificatum.

Si verò productum ex multiplicatione ſecundi in tertium diuidi non poſſet per primũ, primus quotiens eſſet 0. deinde multiplica illud productum per 60. & deinde diuide per primum, & ſecundus quotiens dabit minuta horæ: ſi quid fuerit in reſiduo, illud iterum multiplicandum per 60. & productum diuidendũ per primum, tertius quotiens erit ſec. horæ: & ita conſequenter procedendum ſicut prius dictum eſt. Exemplum. Sit Sol in 29. gra. 58. mi. Piſcium, volo ſcire quo tempore Sol intrabit

in principium Arietis, distantia Solis à fine piscium est 2. mi. motus diurnus 59. mi.

Motus Solis in meridie decimi diei	29. gr.	58. mi.
Distantia à fine Piscium		2. mi.
Motus diurnus Solis		59. mi.
Ordo numerorũ in regula Detri, 59. mi.	24. ho.	2. mi.
Productũ ex multiplicatione secũdi in tertium		48. mi.
Quotiens primus	0. ho.	
Productũ ex multiplic. residui scz 48. m. in 60.		2880. sec.
Quotiens secundus		48. mi.
Residuum		48. sec.
Productum ex multiplicatione per 60.		2880. ter.
Quotiens tertius		48. sec.

Illa multiplicatio & diuisio quoq; in infinitũ procederet, sufficit igitur processisse ad sec. Sol igitur ingressus est in principiũ Arietis 10. Martij, hora 0. mi. 48. sec. 48. secundum dies æquales, iuxta autem inæquales hora 0. mi. 56. sec. 48.

Simili modo poteris inuenire introitũ Solis in quodcũq; aliud signũ Zodiaci, & nõ modò Solis, verùm etiã Lunæ & cuiuslibet alterius Planetæ, motum eius diurnum ponendo pro primo numero, 24. pro secundo, distantiam eius à fine signi pro tertio, in Planeta tamen retrogrado motus diei proximi ante variationem signi pro distantia est accipiendus, & pro tertio numero locandus.

PROPOSITIO XXI.

Proposito quocunque puncto Zodiaci in gradibus & minutis alicuius signi tempus, quo Sol vel alius Planeta tale punctum ingreditur, inuenire.

QVære in Ephemeridibus signum Solis vel alterius Planetæ in columna, quæ Soli vel tuo Planetæ est addicta, deinde sub signo, gradus ac minuta proposita, si præcisè reperiantur, tunc versus sinistram habes numerum diei mensis suprapositi, quo Sol vel alius Planeta tale punctum ingreditur directè hora meridiei iuxta dies æquales computando, cui adde per 9. æquationem dierum, habebis tempus ad dies veros inæquales. Exempli gratia. Sit punctus Zodiaci propositus 18. gr. 57. mi. Arietis, volo scire, qua die, hora & minuto Sol veniet in eum

locum

locum anno 1547. quæro in columna Solis sub signo Arietis, & inuenio præcisè 18. gr. 57. mi. & è regione est 30. dies Martij, ergo Sol veniet ad punctum Zodiaci propositum, 30. die Martij directè hora meridiei, quæ est duodecima hora diei æqualis, per 9. autem huius, die 30. Martij hora 0. minu. 14. diei inæqualis.

Si verò punctus propositus Zodiaci in gradibus & minutis non præcisè reperitur, accipe numerum proximo minorem in Ephemeridibus inuentum, & eum extra nota cum die mensis è regione positi, deinde numerum in gradibus & minutis extrà notatum subtrahe à numero graduum & minutorum propositorum, & habebis distantiam loci Solis à puncto proposito, pòst quære motum diurnum, quem pro primo numero locabis, pro secundo 24. horas, pro tertio distantiam, & procede in regula Detri, vt superiùs de introitu Solis in Arietem dictum est, & habebis tempus in horis & minutis ac cæteris fractionibus à meridie diei extrà notati computatum diebus inæquatis.

Exempli gratia. Sit punctus Zodiaci propositus 15. gra. 20. minu. Arietis, volo scire, qua die, hora & minuto, Anno 1547. Sol ingrediatur in punctum propositum, quæro sub signo Arietis in columna Solis 15. gra. 20. minu. sed non inuenio præcisè, accipio igitur minorem propinquiorem, scilicet 15 gr. 3. minu. & è regione offertur dies Martij 26. quem extrà noto ad partem, deinde numerum graduum & minutorum proximo minorem inuentum subtraho ex gradibus & minutis propositis, & residuum est 17. minu. quæ est differentia siue distantia Solis à loco proposito, pòst quæro motum diurnum, & est 59. minu. quæ pono pro primo numero, 24. horas pro secundo, distantiam scilicet 17. pro tertio, & procedendo, quemadmodum dictum est de introitu Solis in Arietem, inuenio Solem ingredi in punctum Zodiaci propositum die Martij 26. hora 6. minu. 54. sec. 54. & illa diuisio iret in infinitum, & hoc ad dies æquales, ad inæquales autem hora 7. minu. 8. sec. 54. Et hæ propositiones de introitu Solis in Arietem vel in aliud punctum Zodiaci, veritatem haberent, si etiam secunda notarentur in Ephemeridibus, cùm autem in supputatione Ephemeridum cùm pauciora secunda quàm 30. offeruntur, reijciuntur, & minuta tantum seruantur, vel cùm plura quàm 30. fuerint, integrum minutum assumitur, ob id certissimum tempus haberi non potest, sed tamen propè verum: quomodo autem verum tempus sit inquirendum, docebimus in Quarta parte huius libri de reuolutionibus.

PROPOSITIO XXII.

An Planetæ ſint veloces, tardi, aut æquales curſu diſcernere.

PLaneta velox dicitur eſſe in motu, cũ mouetur ſecundũ ordinem ſignorum. i. cùm numerus graduum & minutorum, aut minutorum tantùm, augetur, & motus eius verus diurnus eſt maior medio eius motu. Tardus verò dicitur, cũ mouetur contra ordinem ſignorum. i. cùm retrogradus eſt, aut motus eius verus minor eſt medio eius motu. Æquali autem motu mouetur, quo ſingulis diebus ęqualiter variatur in motu ſuo, & per eum verus, qui quandoque maior, quandoque minor eſt, deprehenditur, & quaſi medio modo ſe habet ad verum motum, hinc æqualis motus etiam medius dictus eſt. Si igitur ſcire volueris, an Planeta ſit velox, tardus, vel æqualis in motu, quære per 5. huius 2. partis, motum eius diurnum, & conſidera, an eius motus diurnus ſit maior vel minor motu eius medio diurno, quẽ in tabella annexa inuenies, ſi maior fuerit, eſt velox: ſi minor aut retrogradus fuerit, tunc tardus: ſi æqualis motui in tabella reperto, eſt æqualis in motu. Et ſic in exemplo propoſitionis 5. inuenies Solem, Lunã, Iouem & Mercurium habere minores motus diurnos, quàm motus diurni in tabella reperti, dicuntur eſſe oẽs tardi curſu, Saturnus, licet motus eius diurnus verus maior ſit medio, tamen quia eſt retrogradus, dicitur etiam tardus. Mars autẽ & Venus quia habent motus diurnos veros maiores medio, dicuntur veloces.

Tabula mediorum motuũ Planetarũ diurnorũ.

	g.	mi.	ſec.
♄	0	2	1
♃	0	4	59
♂	0	31	27
☉	0	59	8
♀	0	59	8
☿	0	59	8
☽	13	10	36

PROPOSITIO XXIII.

An Planeta ſit auctus lumine, ſcire.

CVm Planeta eſt coniunctus Soli, non apparet, ſed eſt ſub radijs eius, & dicitur combuſtus, & cùm talis Planeta fuerit velocior Sole in motu ſuo vero, tunc recedit à Sole ad ortum eius heliacum veſpertinũ, & tunc incipit apparere extra radios Solis, & quanto magis recedit à Sole, tanto magis apparet, & ita

augetur

augetur lumine, & id accidit tribus Planetis inferioribus, scilicet ♀, ☿, & ☽: quando autem sint velociores Sole, docet præcedens propositio. Quando verò Planeta tardior est Sole, tunc Sol recedit ab illis post coniunctionem, & in tantum ab eis elongatur, vt oriantur ortu heliaco matutino, cùm Sol indies magis ab eis recedit, magis apparent, & dicuntur etiam aucti lumine, & id accidit tribus Planetis superioribus, qui tardiores sunt in vero motu quàm Sol: Sol enim in die naturali ad minus mouetur 57. minu. vero suo motu, ♄ vltra 8. mi. non, ♃ vltra 14. ♂ vltra 48. non, tali etiam ortu heliaco omnes stellæ fixæ heliacè oriuntur, quæ saltem oriuntur & occidunt.

PROPOSITIO XXIIII.

Loca augium Planetarum in eccentrico suo inuestigare.

AVx Arabicè, Græcè absis, Latinè eleuatio dicitur, & est punctus, in quo cùm Planeta fuerit, maximè eleuatur à terra, siue maximè distat à centro terræ, tunc minor apparet: oppositũ augis est punctus in firmamento directè oppositus augi, in quo cùm Planeta fuerit, maximè appropinquat vel accedit ad centrũ terræ, tunc maior apparet. Sunt autem puncta augium Planetarum in Zodiaco ad finem anni 1547. vt sequens tabella docet: Pro alijs annis sequentibus singulis adde 32. sec. vsq; ad 1560. deinde ad 1600. singulis 31. vt habet Purbachius in suis tabulis Eclipsium.

Auges Planetarum.

	Sign.	Gra.	Min.	Secũ	
♄	8	13	35	24	
♃	5	23	48	42	
♂	4	15	23	55	
☉	3	1	37	5	
♀ eadem cum Sole.					
☿	7	0	51	15	

PROPOSITIO XXV.

Centrum quinque Planetarum reperire.

CVm vera loca Planetarum in Ephemeridibus habeantur, poteſt etiam centrum verum, diſtantia videlicet ab auge Planetæ vſque ad verum locum Planetæ, inueniri. Subtrahe augem Planetæ à vero eius motu, coaſſumptis 12. ſignis, ſi ſubtractio fieri non poteſt, & reſiduum dicitur centrum veri loci Planetæ, quantum videlicet diſtat corpus Planetæ ab auge eccentrici: centrum autem verum & æquatum in tabulis, per quod quæritur ęquatio centri, eſt diſtantia ab auge Planetæ vſque ad lineam veri motus epicycli, quæ tranſit à centro mundi per centrũ epicycli. Illa diſtantia ab auge Solis ad verum locum eiuſdem, argumentũ Solis verum dicitur: Vt volo centra vera Planetarum habere ad meridiem 2. diei Iunij, vt ſequitur.

	☉	♄	♃
Vera loca Planetarũ.	Sig. gra. mi. ſec. 2. 20. 23.	Sig. gra. mi. ſec. 9. 3. 16.	Sig. gra. mi. ſec. 11. 12. 28.
Auges.	3. 1. 37. 5	8. 13. 35. 24	5. 23. 48. 42
Centra.	11. 18. 45. 55	0. 19. 40. 36	5. 18. 39. 18

	♂	♀	☿
Vera loca Planetarũ.	Sig. gra. mi. ſec. 3. 22. 23.	Sig. gra. mi. ſec. 1. 6. 15.	Sig. gra. mi. ſec. 3. 5. 36.
Auges.	4. 15. 23. 55	3. 1. 37. 5	7. 0. 51. 15
Centra.	11. 6. 59 5	10. 4. 37. 55	8. 4. 44. 45

Centrum verò Lunæ inuenies, ſi ſubtraxeris verum motum Solis in ſignis, gradibus & minutis à vero motu Lunæ, & reſiduũ dicitur elongatio media, quo duplicato centrum veri loci Lunæ exibit. i. diſtantia ab auge eccentrici Lunæ ad verum locũ corporis Lunæ: Vt ad ſecundam diem Iunij Sol eſt in 20. gr. 23. mi. ♊, Luna in 9. gr. 1. mi. ♓, ſi locus ☉ ſubtrahitur à loco Lunę, reſiduum eſt 5. ſig. 18. gr. 38. mi. & illud reſiduum dicitur elongatio media, quæ ſi duplatur, erunt 11. ſig. 7. gra. 16. mi. centrũ verum Lunæ.

PROPOSITIO XXVI.

An Planeta ſit aſcendens vel deſcendens in circulo ſuo eccentrico dignoſcere.

QVære per præcedentem ex Ephemeridibus centrũ verum Planetæ, ſi centrum verum fuerit 0. in ſignis, gradibus & minutis, erit corpus Planetæ præciſè in auge: ſi autem præciſè

6. ſig.

6. sig. erit corpus Planetæ directè in opposito augis: si 3. aut 9. signorum, in longitudine media. Cùm igitur centrum Planetæ fuerit 0. 1. 2. 3. 4. 5. in signis, erit Planeta descendens in circulo suo eccentrico ab auge ad oppositũ augis. Quando verò centrum fuerit 6. 7. 8. 9. 10. 11. in signis, erit ascendens in circulo suo eccentrico ab opposito augis ad augem. Et sic ♄ & ♃ erunt descendentes in suo circulo eccentrico, quia centrum ♄ est 0. in signis 19. gra. &c. Centrum autem ♃ est 5. sig. 18. gr. Reliqui omnes Planetæ sunt ascendentes in circulo suo eccentrico. Sol enim habet 11. sig. ☽ 11. sig. ♂ 11. sig. ♀ 10. sig. ☿ 8. signa.

PROPOSITIO XXVII.

Argumentum trium superiorum Planetarum addiscere.

ARgumentum Planetæ dicitur distantia corporis Planetæ ab auge epicycli eius: & in tribus superioribus ea distantia semper est æqualis distantiæ veri loci Planetæ à vero loco Solis, ob id pro argumento trium superiorum inueniendo, verus locus Planetæ subtrahatur à vero loco Solis, adiunctis 12. signis, si subtractio fieri nequit, residuum in signis, gradibus & minutis, ostendit argumentum verum Planetæ, quantũ videlicet corpus Planetæ distat ab auge vera sui epicycli: & sic ad secundam diem Iunij ad meridiem erunt trium superiorum argumenta, vt sequitur.

Vera loca	♄			♃			♂		
3. superiorũ	Sig.	gra.	mi.	Sig.	gra.	mi.	Sig.	gra.	mi.
ad meridiẽ,	9.	3.	16	11.	12.	28	3.	22.	23

si subtrahantur à vero loco Solis, scilicet 2. sig. 20. gr. 23. mi. relinquetur argumentum verum, vt sequitur.

	5.	17.	7	3.	7.	55	10.	28.	0

Argumentum Solis est distantia corporis Solis ab auge sua, & quæritur vt centrum in alijs Planetis, subtrahendo augem eius à vero motu eiusdem. Ad diem secundam Iunij relinquitur 11. sig. 18. gr. 46. mi. 55. sec. vt patet in priori exemplo.

Argumentum autem in Luna, Venere & Mercurio non potest alia via inueniri, nisi per propriam suam tabulam argumenti.

Propo-

PROPOSITIO XXVIII.

An Planeta ſit aſcendens vel deſcendens in paruo ſuo circulo ſiue epicyclo, experiri.

QVære per præcedentem argumentum Planetæ, ſi fuerit 0. 1. 2. 3. 4. 5. in ſignis, eſt Planeta deſcendens in ſuo epicyclo verſus oppoſitum augis: ſi verò fuerit argumentum 6. 7. 8. 9. 10. 11. plus videlicet 6. ſignis, eſt aſcendens verſus augem ſui epicycli. Et ſic in præcedenti exemplo ♄ habet 5. ſigna pro argumento, ♃ verò 3. ſig. erunt deſcendentes in epicyclo. ♂ verò habet 10. ſig erit aſcendens verſus augem epicycli. Quando verò argumentũ eſt præciſè 0. in ſignis, gradibus & minutis, eſt præciſè in auge epicycli: cùm verò præciſe 6. ſignorũ, 0. in gradibus & minutis, eſt præciſè in oppoſito augis epicycli.

Ex præcedentibus propoſitionibus poteſt quis ſcire, quando Planeta maior vel minor appareat: quando enim Planeta eſt in auge eccentrici & epicycli, tunc maximè diſtat à terra, ergo in minima quãtitate apparebit, quam habere poteſt, & id ſcimus, ſi centrum & argumentum Planetæ fuerit 0. in ſignis. Si verò Planeta fuerit in oppoſito augis eccentrici & epicycli, quando videlicet centrum & argumentum ſunt 6. ſigna, tunc Planeta in maxima quantitate apparet, qua apparere poteſt, & id maximè apparet in Venere & Marte, qui præ cęteris habent magnos epicylos, & id accidit in Venere, quando regreditur in Capricorno, vbi eſt oppoſitum augis eius: & in Marte in Aquario, illic enim eſt oppoſitum augis ♂: nam in media ferè retrogradatione veniunt ad oppoſitum augis epicycli. Quando verò centrum & argumentum eſt 3. vel 9. ſignorũ, habet ſe medio modo, non multùm paruus, nec exceſsiuè magnus apparet: & quanto propior augi fuerit, tanto plus minoratur, quanto autem propior oppoſito augis, tanto magis augetur in quantitate.

De latitudinibus Planetarum.

PROPOSITIO XXIX.

Latitudines quinq; Planetarum dignoſcere.

Conſtat

COnſtat Solem lineam Eclipticam non egredi, cùm latitudo ſit diſtantia Planetæ ab Ecliptica, non ergo habebit latitudinem. Omnes autem reliqui Planetæ extra lineam Eclipticam euagantur, nunc in Septentrionem, nunc in meridiem. Cùm autem latitudo Planetarum, excepta ☽, tardiſsimè in latitudine variatur, ob id Ephemeridum ſupputatores eas tantùm ad primam, decimam ac 20. diem calculauerunt, & ſub finem menſis ſub propria cuiuſq; Planetæ columnula, quanta eſſet cuiuſque Planetæ latitudo, in gradibus & minutis expreſſerunt: partem autem latitudinis an Septentrionalis aut Meridionalis eſſet, duabus literis in capite columnulæ Planetæ ſignarunt, ſi non in columnula Planetæ inter præfatos dies literæ S, vel M, A, vel D, occurrerint, nempe per S. A. Septentrionalem aſcendentem, S. D. Septentrionalem deſcendentem, M. A. Meridionalem aſcendentem, M. D. Meridionalem deſcendentẽ repræſentarunt. Aſcendens autem in latitudine dicitur, cùm à meridie verſus zenith capitis noſtri accedit: deſcendens verò, cùm à zenith capitis noſtri recedit. Exempli gratia Volo ſcire latitudines 5. Planetarum ♄, ♃, ♂, ♀, ☿, ad 1. 10. & 20. diem Iunij, & in calce columnularum è regione horum dictorum dierum latitudo cuiuſque exprimitur cum ſua denominatione, vt ſequitur.

Iunij Dies	♄ S	♄ D	♃ M	♃ D	♂ S	♂ D	♀ M	♀ D	☿ M	☿ D
1	1	6	1	11	0	23	2	0	1	52
10	1	5	1	16	0	21	2	9	3	A 49
20	1	4	1	21	0	18	2	11	3	41

Sic prima die ♄ habet latitudinem 1. gr. 6. mi. Septentrionalem deſcendentem, ♃ 1. gr. 11. mi. Meridionalem deſcendentem, ♂ 0. gr. 23. mi. Septentrionalem deſcendentem, ♀ 2. gr. 0. mi. Meridionalem deſcendentem, ☿ 1. gr. 52. mi. Meridionalem deſcendentem, & ſic de 10. die & 20. eſt intelligendum.

PROPOSITIO XXX.

Latitudinem quinque Planetarum ad alium quemcunq; diẽ in Ephemeridibus non expreſſum, elicere.

QVod ſi certam & finitam Planetæ latitudinem ad quemuis diem menſis habere volueris, conſidera inter quos dies ſi-

gnatos comprehendatur dies propositus, an inter primum & 10. vel 10. & 20. vel inter 20. & primum mensis sequentis, & quære differentiam duarum latitudinum diei signati proximè præcedentis & sequentis, si litera S, vel M, non inter dies signatos occurrerit, deinde numerum dierum inter duas dies signatas considera, nam inter primũ & 10. intercidunt 9. dies, inter decimum & vigesimum 10. dies, inter 20. & 1. mensis sequentis, quando mensis habet 30. dies, intercidunt 11. dies, si autem 31. 12. dies, in Februario in anno communi 9. dies, in bissextili 10. dies, & hi habent semper primum locum in regula Detri, secundum habet differentia latitudinum, tertium habet numerus dierum à die proximo præcedente signato vsque ad diem propositum, multiplicetur igitur secundus per tertiũ, & productum diuidatur per primum, quotiens ostendit latitudinẽ addendam ad latitudinem diei immediatè præcedentis, si latitudo diei sequentis signati maior fuerit, aut subtrahendã, si minor, & habebitur latitudo Planetæ ad diem propositum eius denominationis, prout literæ in capite repræsentant, si non alia litera in columnula Planetæ occurrerit. Exempli gratia. Volo Planetarum quinque, scilicet ♄, ♃, ♂, ♀, & ☿, latitudines inuenire ad diem 25. Iunij anni 1547. primò igitur quæro, inter quos dies signatos, dies propositus scilicet 25. Iunij includatur, & inuenio inter 20. diem Iunij & diem primũ mensis sequentis, scilicet Iulij, at inter hos 2. dies intercidunt 11. quia Iunius habet 30. dies, & is numerus dierum intercidentium habebit primum locum, deinde quæro differentiam latitudinum cuiuslibet Planetæ inter dies signatos, 20. scilicet & primum mensis sequentis, & hi numeri differentiarum latitudinum, habebunt secundum locum in regula Detri, vt sequitur, tertium locum habet numerus dierum inter diem signatum præcedentem scilicet 20. & diem propositum scilicet 25. & sunt quinque dies.

Latitudo Planetarum ad diem	♄		♃		♂		♀		☿	
	S	D	M	D	S	D	M	D	M	D
20. Iunij	1	4	1	21	0	18	2	11	3	41
1. Iulij	1	3	1	25	0	16	2	8	1	31
Differẽtiæ latitud.	0	1	0	4	0	2	0	3	2	10

Ponatur igitur pro primo numero 11. pro tertio 5. pro secundo autem cuiuslibet Planetæ differentia latitudinis, & inuenies quantum in 5. diebus quisque Planeta in latitudine sit variatus

riatus, vt ſequitur: ſi quid remanſerit in reſiduo, id multiplicetur per 60. & diuidatur per primum.

♄	♃	♂	♀	☿
mi. ſec. ter.	mi. ſec. ter.	mi. ſec. ter.	mi. ſec. ter.	mi. ſec. ter.
0 27 16	1 49 5	0 54 32	1 21 49	59 5 27

Iſti ſunt motus Planetarum in latitudine, qui reſpondent 5. diebus à vigeſimo die Iunij vſque ad 25. eiuſdem. Cuiuſlibet igitur Planetæ motus in latitudine addendus eſt motui proxima die præcedente ſignato, ſcilicet ad 20. diem, ſi ſequens eſt maior, aut ſubtrahendus, ſi minor. Cùm autem in omnibus Planetis ſequentis diei ſignati ſcilicet ad primum diem Iulij, latitudo ſit minor excepto ♃, in omnibus igitur quotientem, id eſt, motū quinque dierum, ſubtraho à motu ad vigeſimum diem ſcripto, in ſolo ♃ addendus eſt quotiens ſiue motus quinq; dierum latitudinis, & habebitur latitudo cuiuſque Planetæ ad diem propoſitum, ſcilicet 25. Iunij, vt ſequitur.

♄	♃	♂	♀	☿
S D	M D	S D	M D	M D
gr. mi. ſe. te	gr. mi. ſe. te.	gr. mi. ſe. te.	gr. mi. ſe. te.	gr. mi. ſe. te.
1. 4. 0. 0	1. 21. 0. 0	0. 18. 0. 0	2. 11. 0. 0	3. 41. 0. 0
27. 16	1. 49. 5	54. 32	1. 21. 49	59. 5. 27
1. 3. 32. 44	1. 22. 49. 5	0. 17. 5. 28	2. 9. 38. 11	2. 41. 54. 33

Idem potes elicere, ſi quæſieris inprimis, quantum Planeta variat latitudinem in vna die, diuidendo differentiam duarum latitudinum per numerum dierum intercidentium, & eam toties addas vel ſubtrahas, quot dies ſunt elapſi à die immediatè præcedenti ſignato, & habebis latitudinē Planetæ ad propoſitū diem, ſicut de motu Planetæ in hora dictum eſt.

Planetarum latitudo in vna die.

♄	♃	♂	♀	☿
mi. ſe. te. q̃r.	mi. ſe. te. q̃r.	mi. ſe. te. q̃r.	mi. ſe. te. q̃r.	mi. ſe. te. q̃r.
5. 27. 16	21. 49. 5	10. 54. 32	16. 21. 49	11. 49. 5. 27

PROPOSITIO XXXI.

Quando aliquis ex quinque Planetis ſit in Ecliptica, ſcire.

SI vis ſcire, quando quiſpiam ex quinque Planetis ad Ecli-pticam veniat, & nullam habeat latitudinem, tunc conſidera in quocunque menſe volueris, quam habeat denominationem latitudinis, per literas in capite cuiuſque Planetæ columnulæ poſitas: ſi habet in capite literam S, deſignat quòd Planeta ſit Septentrionalis, quære retrò per ſingulos menſes, donec in columnula Planetæ deprehenderis literam S, & è regione literæ S habes diem menſis, qua Planeta eſt in Ecliptica, & nullam habet latitudinẽ, & cœpit fieri Septentrionalis. Simili modo quære in ſingulis menſibus ſequentibus, donec inueneris literam M, & die è regione poſita caret latitudine, mutatque ſuam latitudinem in partem Meridianam. Eodem modo faciendum erit, ſi habuerit in capite columnulæ literam M, repræſentans latitudinem Meridianam, quære retrò in columnula eiuſdem Planetæ, donec in columnula inueneris M, illic eſt in Ecliptica, & incipit fieri Meridionalis. Sic quoque in ſequentibus menſibus quæſieris, donec inueneris literam S, & eſt iterũ in Ecliptica, & mutat denominationem latitudinis in Septentrionem.

Exempli gratia. Prima die Iunij latitudo Mercurij eſt Meridionalis, quia in capite columnulæ eius ponitur litera M: volo ſcire, quando cœpit fieri Meridionalis, quæro retrò in eius columnula, & inuenio literam M è regione 24. diei Maij, dico igitur quòd Mercurius ea die eſt in Ecliptica, & mutat latitudinem ſuam à Septentrione in Meridiem: ſic etiam quæro in ſequentibus menſibus in ſua columnula, donec in eadem columnula inuenta fuerit litera S, quæ reperitur è regione 8. diei menſis Iulij, ibi iterum eſt in Ecliptica, & mutat latitudinem in Septentrionem, & manet ita Septentrionalis vſque ad 18. Auguſti, illic eſt iterum in Ecliptica, & mutat latitudinem in Meridiem. Sic in alijs quoque eſt intelligendum.

PROPOSITIO XXXII.

Literis S, vel M, inter dies latitudinibus ſuis ſignatos latitudinẽ Planetæ ad diem aliquem intermedium propoſitũ elicere.

PAtet ex antecedente, vbi litera S, vel M, occurrit in columnula alicuius Planetæ, ea die Planetam eſſe in Ecliptica, & carere latitudine, tunc primus & tertius numerus eliciuntur, vt in propoſitione dictum eſt, pro ſecundo autem oportet duas latitu-

latitudines diei præcedentis literam S, vel M, & ſequentis ſimul iungere, deinde in regula Detri procedere ſicut in anteà dictum eſt. Quotiens autem ſemper eſt ſubtrahendus à latitudine ſignata diei immediatè præcedentis, reſiduum eſt latitudo Planetæ denominationis eius literæ, quæ in capite columnulæ ponitur. Cùm autem quotiens ſubtrahi nequit à latitudine diei præcedentis, ſubtrahenda eſt latitudo diei præcedentis ex quotiente, & reſiduum habebit denominationem literæ occurrentis in columnula Planetæ. Exempli gratia. Volo inuenire latitudinem ☿ ad diem 23. Maij, qui dies intercipitur inter 20. diem eiuſdem menſis, & diem primum menſis ſequentis Iunij, & Maius habet 31. dies, erit primus numerus 12. ſecundus quia inter 20. & primum menſis ſequentis occurrit litera M, debeo duas latitudines diei præcedentis & ſequentis ſimul addere, 0. gr. 43. mi. è regione 20. & 1. gr. 52. m. è regione diei primi ſequentis menſis, & aggregatum eſt 2. gr. 35. mi. ſecundus videlicet numerus. Tertius numerus dierum à die proxima præcedente expreſſa vſque ad diem propoſitum, & ſunt 3. multiplicetur ſecundus per tertium, & diuidatur per primum, quotiens eſt 38. mi. 45. ſec. qui ſubtrahatur à latitudine diei præcedentis ſignati, ſcilicet vigeſimi diei, id eſt, à 0 gr. 43. mi. & habebitur latitudo ☿ ad diem propoſitum, quæ eſt 4. mi. 15. ſec. Septentrionalis, vt litera in capite tabulæ habet. Item volo etiam latitudinem ☿ habere ad 28. diem menſis Maij, procedo eodem modo in regula vt prius, pono pro primo 12. pro ſecundo aggregatum ex duabus latitudinibus, ſcilicet 2. gr. 35. mi. pro tertio numerum dierum à die proximo ſuprà expreſſo, ſcilicet à 20. die vſque ad diem propoſitum ſcilicet 28. diem, & erit 8 multiplico ſecundum per tertium, productum diuido per primum, & quotiens eſt 1 gra. 43. mi. 20. ſecũ. qui ſubtrahi debet à latitudine diei immediatè præcedentis, ſcilicet vigeſimi diei, id eſt, à 0. gr. 43. mi. quod fieri non poteſt, ergo ipſa latitudo ſcilicet 0. gr. 43. mi. ſubtrahatur à quotiente, ſcilicet 1. gr. 43. mi. 20. ſec. reſiduum eſt 1. gra. 0. mi. 20. ſecũ. latitudo ☿ ad diem 28. Maij eius denominationis quam litera in capite exprimit, ſed eius literæ immediatè ſupra diem propoſitum occurrentis, quæ eſt M, erit ergo latitudo ☿ ad propoſitum diem Meridiana. Potes etiam alia via latitudinem inuenire, quærendo inprimis quantum Planeta variatur in vna die in ſua latitudine. Si igitur dies propoſitus fuerit ſupra variationem literæ S, vel M, tunc latitudo, quæ ponitur die proxima præcedente diem propoſitum diuidatur per numerum dierum, qui ſunt inter eum diem præcedentem, videlicet qua ſignatur latitu-

do, & diē, qua variatur vel occurrit litera, & habebis latitudinē vnius diei, quam multiplica totiens, quot sunt dies à die signato proximè præcedente vsque ad diem tuum propositum, & productum semper subtrahe à latitudine diei proximè præcedentis, quæ est diuisa, & residuum est latitudo Planetæ ad diem propositū denominationis literæ in capite Planetæ positæ. Exemplū. Volo latitudinem ☿ tali modo quærere ad 23. diem Maij, latitudinem diei proximè præcedentis, scilicet 20. diei, quæ est 0. gr. 43. mi. diuido per numerum dierum, qui est à 20. die vsque ad diem, qua ponitur litera, & sunt 4. quotiens est 10. mi. 45. secū. variatio latitudinis in vna die, quam latitudinem multiplico per numerum dierum intercidentium inter diem 20. & diem propositum scilicet 23. & sunt 3. dies, productum est 31. mi. 35. sec. quæ subtraho à latitudine 20. diei, residuum est 12. mi. 25. sec. latitudo ☿ ad 23. diem Maij denominationis literæ in capite positæ. Si verò dies propositus fuerit post variationem literæ S vel M, tunc numera dies à die variationis literæ vsque ad diem proximum sequentem, qua signatur latitudo, per eum numerum dierum diuide latitudinem in gradib. & minutis, vel in minutis tantùm, quæ ponitur die immediatè sequente, qua signatur latitudo, & habebis, quantum latitudo Planetæ variatur in vna die, ea totiens est sumenda, quot sunt dies post variationem literæ ad diem propositum, & habebitur latitudo Planetæ secundum denominationem ipsius literæ proximè suprapositæ. Exemplū. Volo latitudinem ☿ habere ad 28. diem Maij, numero dies à die variationis literæ, scilicet 24. vsque ad diem proximè sequentem signatum, scilicet 1. mensis sequentis, id est, primum Iunij, & sunt 8. dies, per hunc numerum dierum diuido latitudinem proximè diem sequentem signatam, scilicet 1. gr. 52. mi. & quotiens est 14. mi. deinde numero dies à variatione literæ vsque ad diem propositum, scilicet 28. & sunt 4. multiplico igitur 14. mi. per 4. dies, proueniunt 56. mi. latitudo ☿ ad 28. diem Maij.

Isti duo modi inueniendi latitudinem Planetarum ad dies intermedios, vbi fit variatio literarum S & M, licet in reliquis Planetis nihil aut valdè parum discordant, in Mercurio tamen discordant sensibiliter, facit velox eorum motus in latitudine, variatur enim in duobus aut tribus diebus sensibiliter & inæqualiter, & in Ephemeridibus fit saltus per 10. dies, aliquando per 12. non potest eius latitudo ita præcisè haberi per tantum saltum, tamen secundus modus propius accedit. Qui igitur ortus & occasus & mediationes cœli ac directiones præcisas habere desiderauerit, sicut & necesse est rectè iudicaturo, is non debet præser-

tim

tim in ☿, latitudinibus signatis in Ephemeridib. considere, sed eas de nouo supputare, circa illos dies vbi fit variatio literarũ S & M, A & D.

PROPOSITIO XXXIII.

Argumentum latitudinis Lunæ verum & æquatum inuenire.

ARgumentum latitudinis Lunæ dicitur distantia corporis Lunæ à capite Draconis Lunæ, id est, à sectione, à qua Luna mouetur versus Septentrionem. Acceptis igitur veris motibus capitis Draconis & Lunæ in signis, gradibus & minutis pro eo tempore, ad quod vis habere argumentum latitudinis, in proposito oportet pro characteribus signorum numeros completorum signorum ponere, & subtrahe verum motum capitis Draconis Lunæ à vero motu Lunæ in signis, gradibus & minutis, incipiendo à minutis: si subtrahi non possunt, mutua vnũ gradum, deinde subtrahe gradus: si subtractio non potest fieri, mutua 1. signum. i. 30. gra. pòst subtrahe etiam signa: si subtractio fieri non potest in signis, accommodentur 12. signa, & id quod residuum fuerit, dicitur argumentum latitudinis ☽ verum & æquatum, quia ex veris motibus extractum. Exemplum. Volo argumentum latitudinis ☽ inuenire ad meridiem secundi diei Iunij,

Verus locus Lunæ est	8. Sig. 9. gr. 1. mi.
Verus locus capitis Draconis	7. Sig. 27. gr. 58. mi.
Argumentum verum latitudinis ☽	0. Sig. 11. gr. 3. mi.

Erit ergo argumentum latitudinis ☽ verum. i. distantia corporis ☽ à nodo, qui vocatur caput Draconis, 0. sig. 11. gr. 3. mi.

PROPOSITIO XXXIIII.

Latitudinem Lunæ veram calculare.

CVm deferens ☽ declinet ab Ecliptica, necesse est etiam corpus Lunare distare ab Ecliptica: quanta autem sit ea quolibet momento temporis, & in quam partẽ declinet, potes per sequentem tabellam inuestigare. Per præcedentẽ proposit. quære argumentũ latitudinis ☽ verum ad tempus tuum propositum, in sig. & gradib. signa argumenti quærendo in capite tabulæ, vel in pede. Si signũ in capite repertũ fuerit, quære gradus in prima linea versus sinistrã descendendo, & in angulo cõmuni signi & gr. inuenies latitudinẽ ☽, quantũ distet ab Ecliptica, denominationẽ

verò

verò latitudinis, an distet in partem Septentrionalem vel Meridiem, ostendit titulus supra signum argumenti positus. Si signum argumenti fuerit 0. 1. 2. est Septentrionalis ascendens: si verò 6. 7. 8. est Meridionalis descendens. Quod si signum argumenti latitudinis ☽ in pede tabellæ repertum fuerit, quære gradus argumēti in vltima linea tabulæ, quæ est versus dextram ascendendo, & in angulo communi signi & gradus reperies latitudinem Lunæ, quæ erit eius denominatiōis, vt titulus supra signa argumēti indicat. Si enim signa argumenti fuerint 3. 4. 5. est Septentrionalis descendens: si verò signa argumenti sunt 9. 10. 11. erit Meridionalis ascendens. Quod si minuta integris gradibus argumenti adhęserint, & omnimodam præcisionem latitudinis ☽ desideraueris, accipienda est pars proportionalis ad 60. minu. In primis considera differentiam anguli communis, & numeri immediatè sub eo positi, si signa argumenti in capite reperiuntur, aut numeri immediatè suprapositi, si signa argumenti in pede tabulæ accipiuntur, & eam differentiam multiplica per minuta argumenti, productum diuide per 60. & quotientem adde ad angulum communem, si signum fuerit in capite positum, aut subtrahe ex angulo communi, si in pede, & quod per additionem aggregaueris, aut per subtractionem residuaueris,

Tabula latitudinis Lunæ.

Septentrional. ascendens						
Sig	0		1		2	na
Meridionalis descendens						
Sig	6		7		8	na.
g.	g.	m.	g.	m	g. m.	g.
0	0	0	2	30	4 20	30
1	0	5	2	34	4 22	29
2	0	10	2	39	4 25	28
3	0	16	2	43	4 27	27
4	0	21	2	48	4 30	26
5	0	26	2	52	4 32	25
6	0	31	2	56	4 34	24
7	0	37	3	0	4 36	23
8	0	42	3	4	4 38	22
9	0	47	3	9	4 40	21
10	0	52	3	13	4 42	20
11	0	57	3	17	4 44	19
12	1	2	3	21	4 45	18
13	1	7	3	24	4 47	17
14	1	12	3	28	4 48	16
15	1	18	3	32	4 50	15
16	1	23	3	36	4 51	14
17	1	28	3	39	4 52	13
18	1	33	3	43	4 53	12
19	1	37	3	46	4 54	11
20	1	42	3	50	4 55	10
21	1	47	3	53	4 56	9
22	1	52	3	56	4 57	8
23	1	57	3	59	4 58	7
24	2	2	4	3	4 58	6
25	2	7	4	6	4 59	5
26	2	11	4	9	4 59	4
27	2	16	4	12	5 0	3
28	2	21	4	14	5 0	2
29	2	25	4	17	5 0	1
30	2	30	4	20	5 0	0
Septentrion. descendens						
Sig	5		4		3	na.
Meridionalis ascendens						
Sig	11		10		9	na.

Gradus argumenti.

Gradus argumenti.

ſiduaueris, erit latitudo Lunæ ſiue diſtantia vera ab Ecliptica, argumento latitudinis Lunæ in ſignis, gradibus & minutis reſpondens. Si verò non tantam prçciſionem deſideraueris, poteris pro minutis, ſi 30. exceſſerint, accipere integrum gradum: ſi verò pauciora fuerint, reiicere, & cum integris gradibus latitudinem quærere. Exemplum. Volo latitudinem ☽ habere, argumento latitudinis Lunæ exiſtente o. ſig. 11. gr. 3. mi. in præſenti tabella inuenio ſignũ argumẽti, ſcz. o. in capite tabellæ, ob id gra. argumenti quæro in latere ſiniſtro in prima linea, & in angulo communi reperio o. gr. 57. mi. quæ ſeruo ad partẽ, deinde propter mi. accipio differentiam anguli communis reperti, ſcilicet o. gr. 57. mi. & immediatè ſequẽtis inferioris, ſcilicet 1. gr. 2. mi. quia ſignum argumenti eſt in capite: differentia autem horum duorum numerorũ eſt 5. mi. quæ multiplico in 3. mi. argumenti, productum eſt 15. ſec. quæ adiungo ad angulum communem, erit latitudo Lunæ vera o. gr. 57. minu. 15. ſec. Si verò minuta argumenti eſſent 24. multiplicarem differentiam ſcilicet 5. mi. per 24. productum eſſet 120. ſec. id diuiſum per 60. quotiens eſt 2. mi. quæ quia ſignum argumenti eſt in capite tabulæ, addo ad angulum communem, fieret vera latitudo Lunæ o. gra. 59. mi. Septentrionalis aſcendens.

PROPOSITIO XXXV.

Data latitudine Lunæ vera vel viſa cum denominatione ſua argumentum latitudinis eius verum elicere, hæc eſt conuerſa prioris propoſitionis.

SI latitudo Lunæ vera propoſita fuerit cum denominatione ſua, & vis argumentum latitudinis Lunæ ſibi reſpondens ſcire, intra areatim in tabellam latitudinis Lunæ, id eſt, quære latitudinem ☽ propoſitam in area tabellæ, & vbi eam prçciſè inueneris, accipe ſignum argumenti iuxta denominationem latitudinis ſuprà vel infrà: ſi denominatio latitudinis ſuprà inuenitur, accipiendum eſt ſignum ſupra columnam inuentæ latitudinis ſibi reſpondens ſub ſua denominatione, & gradus in latere ſiniſtro è regione inuentæ latitudinis, & habes argumentum latitudinis in ſignis & gradibus propoſitæ latitudini reſpondens. Si verò denominatio inferiùs reperitur, accipiendum eſt ſignum

inferius positum sub sua denominatione columnulæ inuentæ latitudini respondens, & gradus è regione in latere dextro positus, & habes argumentum propositæ latitudini respondens. Si verò præcisè non inueneris ipsam latitudinem, in area tabellæ accipe proximè minorem propinquiorem, & signum atque gradum illi respondentem, vt iam dictum est, extra scribe, deinde quære differentiam numeri immediatè sequentis sub latitudine proximè minori inuenta, eam differentiam pone pro primo numero, differentiam verò inter angulum communem & latitudinem propositam pro secundo, pro tertio 60. multiplicetur secundus per tertium, productũ diuidatur per primum, quotiens ostendit minuta adiungenda ad gradus extra scriptos pro argumento, si signum argumenti in capite ponitur, aut subtrahenda à gradibus extra scriptis, si signum argumenti in pede ponitur, & quicquid addendo vel subtrahendo elicueris, erit argumentum latitudinis Lunæ verum respondens latitudini propositæ. Exemplum. Sit latitudo Lunæ proposita o. gra. 59. minu. Septentrionalis ascendens, volo inuenire argumentum latitudinis Lunæ sibi respondens, quæro in area tabulæ latitudinem propositã, quã nõ inuenio, accipio proximè minorẽ, s. o. gr. 57. mi. & denominatio eius, scilicet Septentrion. ascendẽs, ponitur in capite, & sub eo titulo in signis supra columnulam ponitur o. è regione verò acceptæ latitudinis versus sinistram ponitur 11. gr. scribo igitur ad partem o. sig. 11. gr. deinde quæro differentiam inter latitudinem inuentam in tabella, & numerum immediatè sub ea, scilicet 1. gr. 2. mi. & differentia est 5. mi. qui officium primi numeri in regula Detri obtinebit, deinde quæro differentiam inter inuentam latitudinem in tabella, scilicet o. gr. 57. mi. & latitudinem propositam, scilicet o. gr. 59. mi. & differentia est 2. mi. qui numerus habet secundum locum, tertium verò locũ habet 60. si multiplicetur secundus per tertium, & productum diuidatur per primum, proueniunt 24. mi. adiungenda ad sig. & gradus extra notatos, & erit argumentum latitudinis Lunæ propositæ latitudini respondens o. sig. 11. gr. 24. mi. quod fuit propositum. Si verò denominatio esset Meridionalis ascendens, & eadem latitudo proposita, scilicet o. gr. 59 mi. quæro, vt prius, proximè minorem latitudinem, scilicet o. gra. 57. mi. cùm autem denominatio latitudinis inferius ponitur, accipio signum inferius sub columnula vbi accepta est latitudo, & sub sua denominatione, & sunt 11. signa, gradus autem è regione versus dextram inuentæ latitudini respondens est 19. gr. quæ extra scribo, deinde quæro vt prius differentiam inter inuen-

tam

tam latitudinem, ſcilicet o. gr. 57. mi. & numerum immediatè ſequentem ſub eo, ſcilicet 1. gr. 2. mi. & differentia eſt 5. minuta primus numerus, ſecundus numerus eſt differentia inter inuentam latitudinem, ſcilicet o. gr. 57. mi. & latitudinem propoſitam, ſcilicet o. gr. 59. mi. & ſunt 2. mi. tertius eſt 60. ſi multiplicetur ſecundus per tertium, & productum diuidatur per primum, in quotiente proueniunt 24. mi. vt prius, & cùm ſignum inferius eſt acceptum, illa minuta ſunt ſubtrahenda ex prioribus gradibus extra notatis, & remanebunt 11. ſig. 18. gr. 36. minu. argumentum latitudinis Lunæ propoſitæ latitudini reſpondens. Poſſes etiam, ſi propoſita latitudo non præciſè inueniretur, & denominatio eius eſſet in pede tabulæ poſita, proximè maiorem latitudinem accipere, & ſignũ & gradus ſibi reſpondentes extra notare, & differentia pro primo numero inter inuentam latitudinem & numerum proximè ſuprapoſitũ, pro ſecundo numero autem differentia inter inuentam latitudinem & propoſitam, tertius eſt 60. & quotiens non eſt ſubtrahendus ex gradibus, ſed adiungendus, & idem proueniet.

PROPOSITIO XXXVI.

Semidiametros Solis & Lunæ viſuales ac vmbræ in loco tranſitus Lunæ tempore Eclipſis dimetiri.

SEmidiameter dicitur linea à centro alicuius circuli ad eius circumferentiam: ſic quoque in Sole, Luna & vmbra eſt imaginandum. Cùm igitur ſemidiametrum Solis viſualem tempore Eclipſis Solis verè ſcire volueris, quære per 27. huius ſecundæ partis, argumentũ Solis, eo inuento ſi fuerit à o. ſig. vſq; ad 3. ſig. 25. gr. ſemidiameter eius eſt 16. mi. Si à 3. ſig. vſq; ad 8. ſig. 5. gr. ſemidiameter eſt 17. mi. Ab 8. ſig. vſq; ad 12. ſig. ſemidiameter iterum 16. mi. Exemplũ. Anno 1547. die 12. Nouembris fit Eclipſis Solis ho. 2. mi 9. & eſt tempus mediæ Eclipſis Solis, volo ſcire argumentum Solis, inuenio per 27. huius, argumentum Solis 4. ſig 27. gr. 58. mi. quia argumentum Solis etiam excluſiuè eſt inter 3. ſig. 25. gr. & 8. ſig. 5. g. erit ſemidiameter Solis 17. mi. Semidiametrum aũt viſualem ☽ inuenies per argumentum eius æquatum: quando argumentum Lunæ æquatum fuerit à o. ſig. vſque ad 2. ſig. 10. gradus excluſiuè, ſemidiameter eius viſualis eſt 15. minutorum: à 2. ſignis 10. gra.

vſque ad 3. ſig. 15. gr. etiam excluſiuè, eſt 16. minutorum: pòſt vſque ad 4. ſig. 15. gradus, 17. minutorum: deinde vſque ad 7. ſig. 15. gradus, 18. minutorũ: ad 8. ſig. 15. gradus, 17. minutorũ: pòſt vſque ad 9. ſig. 20. gradus, 16. minutorum: deinde ad 12. ſigna, 15. minutorũ, vt annexa tabula docet. Cùm autem in ☌ & ☍ centrũ epicycli ſemper eſt in auge eccentrici, erit argumentũ medium etiam æquatum. Et eſt in Eclipſi Solari 1547. anno, tempore mediæ Eclipſis 7. ſig. 18. gr. 25. mi. 9. ſec. erit ſemidiameter Lunæ viſualis 17. minutorum.

Arg. ☽ æquatũ.		Semidiameter ☽ viſualis.
Si.	gra.	mi.
0	0	15
2	10	16
3	15	17
4	15	18
7	15	17
8	15	16
9	20	15
12	0	15

Semidiameter vmbræ in loco tranſitus Lunæ quoque inuenitur per argumentum ☽ æquatum: ſi enim argumentum æquatum fuerit 0. in ſignis & 0. in gradibus vſq; ad 1. ſig. 19. gr. excluſiuè, ſemidiameter vmbræ in loco tranſitus Lunæ eſt 38. minutorum: deinde vſque ad 2. ſigna, 39. minutorum: pòſt ad 2. ſig. 20. gradus, 40. minutorum: deinde vſque ad 3. ſig. 0. gr. 41. minutorum: vſque ad 3. ſig. 15. gradus, 42. minutorum: pòſt vſque ad 3. ſig. 25. gradus, 43. minutorum: deinde vſque ad 4. ſig. 10. gradus, 44. minutorum, &c. vt ſequens tabella docet.

Cùm argumentum æquatum habueris, ſi præciſè in his tabulis reperitur, habes ſemidiametros è regione poſitas: ſi verò non præciſè reperitur, accipiendum ſemper eſt argumentum proximo minus hîc poſitũ, & è regione ſemidiameter reſpondens, & ſufficit pro figuratione Eclipſium. Exemplum. Argumentum Lunæ medium in Eclipſi Lunari anno 1547. die 28. Octobris, ho. 4. mi. 56. eſt 5. ſig. 28. gr. 54. mi. 44. ſec. Semidiameter viſualis ☽ eſt 18. m. vmbræ verò 47. mi. Et nota, quòd ſemidiameter vmbræ hîc poſita præſupponit, Solem eſſe in auge eccentrici: ſi verò Sol fuerit propius oppoſito augis, ſcilicet quando argumentum Solis fuerit

Argument. ☽ æquatum.				Semidi. vmbræ.
Si.	gr	Si.	gr	mi.
0	0	10	25	38
1	10	10	5	39
2	0	9	15	40
2	20	9	5	41
3	0	8	20	42
3	15	8	10	43
3	25	7	25	44
4	10	7	15	45
4	20	6	25	46
5	10			47
6	0			47

ris plus 3. signis & minus 9. sig. tunc subtrahe vnum minutum à semidiametro vmbræ, & habebis veram semidiametrum vmbræ in loco transitus Lunæ. Qui præcisiora hæc desiderauerit, consulat Tabulas Eclipsium Georgij Purbachij.

PROPOSITIO XXXVII.

Latitudinem Lunæ visam tempore mediæ Eclipsis Solis, & eius denominationem inuestigare.

PEr præcedentem quære semidiametros Solis & Lunæ visuales, deinde per 8. propositionem primæ partis quære puncta & minuta, quanta videlicet pars de Sole obscuratur: cùm tota diameter Solis diuiditur in 12. puncta, erit medietas diametri 6. punctorum, & sex illis punctis respondet semidiameter Solis visualis: si plura puncta fuerint quàm 6. multiplica puncta per semidiametrum visualem Solis, productum diuide per 6. à quotiente subtrahe semidiametrum Lunæ visualem, deinde residuum subtractum à semidiametro Solis, & reliquum est distantia centri Lunæ à centro Solis, & ea est etiam latitudo Lunæ visa. Exemplum. Volo scire latitudinem Lunæ visam tempore mediæ Eclipsis Solis, anni 1547. per præcedentem propositionem semidiameter Solis visualis est 17. mi. totidem etiam semidiameter visualis Lunæ, quia puncta sunt 9. & 28. mi. plura quàm 6. multiplico puncta per semidiametrũ visualem Solis, scilicet 17. mi. & productum diuido per 6. proueniunt 27. mi. ferè, ab illo quotiente subtraho semidiametrũ visualem Lunæ, manent in residuo 10. mi. quæ à semidiametro Solis dempta, scilicet 17. mi. relinquuntur 7. mi. distantia videlicet centri Lunæ à centro Solis, quæ etiam est latitudo Lunæ visa tempore mediæ Eclipsis, quod est propositum.

Si verò puncta essent pauciora 6. multiplica puncta, vt prius, per semidiametrum Solis, productum diuide per 6. & quotientem subtrahe à semidiametro Solis, relicto adde semidiametrum Lunæ, & habebis distantiam centri Lunæ à centro Solis, quæ est latitudo Lunæ visa tempore mediæ Eclipsis. Vt si puncta Eclipsis Solis essent 3. & semidiameter Solis & Lunæ vt suprà 17. videlicet mi. multiplico puncta 3. per 17. mi. semidiametri Solis, productum diuido per 6. quotiens est 8. mi. 30. secũ. quæ subtraho à semidiametro Solis, scilicet 17. mi. residuum est 8. mi.

30. sec. cui addo semidiametrum Lunæ, scilicet 17. productum est 25. mi. 30. sec. distantia centri Lunæ à centro Solis, quæ est etiam latitudo Lunæ visa tempore mediæ Eclipsis.

Si autem puncta Eclipsis Solis essent præcisè 6. tunc diameter visualis Lunæ, siue sit maior vel minor semidiametro Solis, ostendit distantiam centri Lunæ à centro Solis, per consequens etiam latitudinem Lunæ visam tempore mediæ Eclipsis. Denominatio autem latitudinis Lunæ visæ habetur ex figuratione Eclipsis, si inferior pars Solis eclipsatur, latitudo Lunæ visa est Meridionalis: si verò superior, erit Septentrionalis: si fit circa caput, est ascendens: si circa caudam, descendens.

PROPOSITIO XXXVIII.

Argumentum latitudinis Lunæ visæ ad medium Eclipsis, & per id etiam ad principiũ & finem Eclipsis deprehendere.

PEr propositionem 33. huius, quære argumentum latitudinis Lunæ visæ ad medium Eclipsis, quod serua ad partem, deinde per 7. huius 2. partis, quære motum Lunæ verum in tempore dimidiæ durationis Eclipsis, quem motum subtrahe ab argumento latitudinis Lunæ visæ ad tempus mediæ Eclipsis inuentum, & habes argumentum latitudinis Lunæ visæ ad principium Eclipsis: si subtractio fieri non posset, adde 12. signa, deinde fiat, & residuum erit argumentum latitudinis Lunæ visæ, ascensus tamen vel descensus non variatur. Eundem motum Lunæ adde ad argumentum latitudinis Lunæ visæ ad medium Eclipsis inuentum, & habebis argumentum latitudinis Lunæ visæ ad finem Eclipsis: si excedunt 12. sig. abnciantur 12. residuum serua pro argumento latitudinis.

Exemplum. Ex præcedenti habetur latitudo Lunæ visa 7. minutorum ad medium Eclipsis præfato anno 1547. quia superior pars eclipsatur, est Septentrionalis, & fit circa caput, est ascendens. Per 33. huius, inuenio argumentum latitudinis Lunæ illi respondens, 0. sig. 1. gr. 24. mi. & per 7. huius, motus Lunæ in tempore dimidiæ durationis Eclipsis Solis, scilicet in vna hora, 8. minut. est 29. mi. 51. secũ. pro quibus accipio 1. minutum, & erunt 30. mi. motus Lunæ in tempore dimidiæ durationis, quæ subtraho ab argumento latitudinis Lunæ visæ ad medium Eclipsis, remanebit argumentum latitudinis Lunæ visæ

ad

ad principium Eclipsis, scilicet o. sig. o. gr. 54. mi. deinde eundem motum addo ad argumentum latitudinis Lunæ visæ Eclipsis mediæ, producitur argumentum latitudinis Lunæ visæ ad finem Eclipsis, scilicet o. sig. 1. gra. 54. minu. quod fuit intentum.

PROPOSITIO XXXIX.

Latitudinem Lunæ visam ad principium & finem Eclipsis perscrutari.

PEr præcedentem habes argumentum latitudinis Lunæ visæ ad principium & finem Eclipsis, per quæ quære latitudinem Lunæ illis respondentem per 34. huius, & habebis latitudinem Lunæ visam ad principium & finem Eclipsis propositæ.

Exemplum. Argumentum latitudinis Lunæ visæ ad principium Eclipsis fuit o. sig. o. g. 54. m. Septentrionalis ascendens, & huic respondet o. gr. 4. mi. 30. sec. pro latitudine Lunæ visæ ad principium Eclipsis, pro fine verò fuit argumentum latitudinis Lunæ visæ o. sig. 1. g. 54. mi. cui respōdet latitudo Lunæ visa ad finem Eclipsis, scilicet o. gr. 9. mi. 30. sec. quod fuit intentum.

PROPOSITIO XL.

Figuram Eclipsis Solaris ad visum in plano aliquò artificialiter depingere.

IN superficie plana protrahatur linea recta, in cuius medio statuatur punctus tanquàm centrum, à quo versus vnam eius extremitatum officio circini sumantur tot partes æquales, quot sunt minuta in aggregato ex ambabus semidiametris ☉ & ☽, deinde super centro statuto secundum quantitatem aggregati semidiametrorū tanquàm semidiametri, fiat circulus, qui dicitur circulus aggregati semidiametrorum ☉ & ☽, qui iam diuisus est per lineam primò protractā, in duo æqualia. Ea quidem linea recta habeatur vice portionis Eclipticæ, & eius pars sinistra habeatur Orientalis, dextra Occidentalis. Hanc super centro secet alia orthogonaliter, ea tamen non fit visibilis, sed occulta, hæc occulta est loco portionis circuli transeuntis per polos Zodiaci

& lo-

& locũ Solis in Ecliptica, huius pars superior habeatur Septentrionalis, inferior Meridionalis, posteà secundum quantitatem semidiametri Solis visualis super priori centro fiat circulus, qui superficiem Solis repræsentabit, deinde signabis in linea occulta duo puncta, vnum quidem à centro distans secundum quantitatem latitudinis Lunæ visæ ad initium Eclipsis, aliud à centro distans secundum quantitatem latitudinis Lunæ visæ ad finem Eclipsis, & quodlibet istorum distet à centro versus eam partem aut Meridiei aut Septentrionis, vt latitudo visa fuerit. A puncto autem latitudinis Lunæ visæ ad initium Eclipsis ducatur parallela Eclipticæ, videlicet lineæ primò protractæ vsque ad circumferentiam circuli maioris in parte Occidentali, & punctus sectionis huius parallelæ, cum circumferentia circuli maioris, significat locum centri Lunæ visum ad initium Eclipsis: similiter à puncto latitudinis visæ ad finem Eclipsis ducatur parallela ad circũferentiam circuli maioris in parte Orientali, & punctus sectionis huius parallelæ cum circumferentia maioris circuli designat locum centri Lunæ visum ad finem Eclipsis: duc etiam lineam rectam à loco centri Lunæ viso in principio Eclipsis ad locum eius in fine Eclipsis, hæc significat iter ☽ ab initio Eclipsis ad finem, eam per medium æqualiter diuide, & punctus medius significabit locum centri Lunæ in medio Eclipsis. Vltimò secundũ quantitatem semidiametri Lunæ visualis in tribus locis centrorum Lunæ, scilicet principij, medij & finis Eclipsis fiant tres circuli super ea tria centra, qui repræsentabunt Lunam in principio, medio & fine Eclipsis. Quantum itaque medius eorum de circulo Solis occupabit, tantum proportionabiliter de superficie corporis Solis eclipsabitur.

Exemplum de Solari Eclipsi anni 1547. die 12. Nouembr. ho. 2. mi. 9. protraho in medio plani lineam rectam B A C, eius medietatem A B pono 34. partes æquales secundum numerum minutorum in aggregato ex semidiametris Solis & Lunæ, & super A secundum quantitatem A B tanquàm semidiametri describo circulum B E C F, & super B A C sit orthogonalis occulta F A E, & sit B pars Orientalis, C Occidentalis, E Meridionalis, F Septentrionalis. Item de partibus A B, 34. videlicet, accipio 17. quæ sunt A D, & secundum eius quantitatem tanquàm semidiametri Solis facio circulum D H K G, qui Solem repræsentabit. Similiter de partibus 34. accipio cum circino latitudinem Lunæ visam ad principiũ Eclipsis, & sunt 4. mi. 30. sec. & transfero ea in lineã occultã versus partẽ Septentrion. in linea A F, quia latitudo Lunæ visa est Septentrionalis, & sit linea A N, &

de

de eisdem 34. partibus accipio 9. partes & 30. sec. secundum quantitatem latitudinis Lunæ visæ ad finem Eclipsis, & officio circini transfero in lineam A F, & sit A Q. Et à puncto N duco æquidistantem lineæ A C, vsque ad circumferentiam, & sit N L, & Q M, æquidistantem A B, & sectiones harum duarum linearum cum circulo B E C F, sint L & M, deinde ducatur linea L M, quæ per æqua diuidatur in puncto O, super tria itaque puncta L O M facio tres circulos secundum quantitatem semidiametri Lunæ B D, quorum primus super L significat Lunam in principio Eclipsis, secundus super O repræsentat Lunam in medio Eclipsis, & tertius super M designat ipsam in fine Eclipsis, & superficies intra D G K ostendit partem Solis eclipsatam, reliqua verò lunula scilicet D H K indicat partem eius adhuc luminosam nobis, linea L N demonstrat latitudinem Lunæ visam ad initium Eclipsis, Q M latitudinem Lunæ visam ad finem eiusdem, L O M transitum Lunæ ab initio Eclipsis vsque ad finem, vt patet in figura sequente.

Typus Eclipseos Solaris.



PROPOSITIO XLI.

Eclipsis Lunaris figuram in plano proijcere.

SIcut in pictura Solaris Eclipsis dictum est, in superficie plana trahatur linea recta, quæ teneatur pro portione Eclipticæ, cuius medius punctus sit centrum vmbræ in loco transitus Lunæ, à quo versus vnam extremitatum lineæ sumantur officio circini tot partes æquales, quot sunt minuta in aggregato semidiametrorum vmbræ & Lunæ, & secundum hanc quantitatem aggregati semidiametrorum super centro fiat circulus, & super eodem centro alius secundum quantitatem semidiametri vmbræ, qui habeatur pro circulo vmbræ, & sint in hac figuratione quatuor partes mundi, Oriens, Occidens, Meridies, & Septentrio, vt in figura Eclipsis Solis. Item linea occulta orthogonaliter portionem Eclipticæ secans super centro circulorum, in qua similiter duo puncta à centro distantia secundum latitudines Lunæ veras ad principium & finem Eclipsis signentur, & versus eas partes Meridiei & Septentrionis, vt latitudines ipsæ sunt. Et ab illis punctis ducantur parallelæ lineæ priori, prima quidem à puncto signante latitudinem Lunæ ad initium Eclipsis versus Occidentem, alia à puncto signante latitudinem ad finem Eclipsis versus Orientem, & incidentiæ earum cum circumferentia maioris circuli notentur, quia significant loca centri Lunæ ad initium & finem Eclipsis, & illa duo loca per rectam lineam copulentur, quæ per medium puncto diuidatur, quod signat locum Lunæ in medio totalis obscurationis. Super illa tria puncta secundum quantitatem semidiametri Lunæ visualis fiant tres circuli, Lunam in principio, medio & fine significantes. Quantum autem de medio eorum intra circulum vmbræ cadit, tantum proportionabiliter de Luna nobis eclipsabitur: si enim totus intra cadit, tota Luna obscurabitur: si pars eius intra cadit, pars quoque talis de Luna eclipsabitur.

Exemplum de Eclipsi Lunari anni 1547. die 28. Octobris, hora 4. mi. 56. Ducta linea recta B A C, pono eius medietatem A C 65. partes, eò quòd in aggregato semidiametrorum Lunæ & vmbræ tot sunt partes siue minuta, & super A tanquàm centro secundum quantitatem semidiametri A C, facto circulo B E C F, qui erit diametrorum vmbræ & Lunæ visualium, & B A C erit loco partis Eclipticæ, quam Luna ab initio Eclipsis

vsque

vsq; ad finem perambulat super eam, & fiat F A E orthogonalis occulta, & sit B pars Orientalis, C Occidentalis, E Meridionalis, F Septentrionalis. Deinde officio circini facio A D 47. partium secundum quantitatem semidiametri vmbræ, & super A tanquàm centro secundum eandem quantitatem facio circulum D G, qui circulum vmbræ in loco transitus Lunæ repræsentabit. Deinde per 34. huius 2. partis, quæro latitudinem Lunæ veram ad principium & finem Eclipsis, & erit latitudo Lunæ vera ad principium Eclipsis o. gr. 34. mi. S. D. ad finem verò o. g. 23. mi. S. D. Officio igitur circini constituo A H 34. partium versus F, quia secundum quantitatem latitudinis in principio Eclipsis, quæ Septentrionalis est. Item A K versus eandem partem in occulta linea habeat 23. partes secundum quantitatem latitudinis Lunæ in fine Eclipsis, Deinde duco H L æquidistantem A C, quæ secet circumferentiam E C F, in puncto L, similiter duco K M æquidistantem A B, cuius sectio cum peripheria E B F sit M, & ducta linea L M, diuisaque per medium in O, facio tres circulos secundum quantitatem semidiametri Lunæ, scilicet B D, in tribus locis super tria centra L O M, & sic habebimus figuram depictam, in qua circulus G D significàt circulum pyramidis vmbræ in loco transitus Lunæ, Et circulus super L designat Lunam in principio Eclipsis, dum in vmbram terræ ingreditur, & circulus super O repræsentat eam in medio Eclipsis, & quantum hic circulus profundatur in circulo vmbræ versus centrum A, tantum proportionabiliter corpus Lunæ profundabitur in pyramide vmbræ terræ versus axem seu nadir Solis appropinquando. Circulus autem super M demonstrat Lunam in fine Eclipsis, dum vmbram primò tota egressa est, & linea L O M significat transitum Lunæ ab initio Eclipsis vsque ad finem.

Si fuerit Eclipsis Lunæ vniuersalis cum mora, poteris quoque Lunam figurare in principio totalis obscurationis atque in fine eius, in principio videlicet & in fine moræ secundum eandem quãtitatem semidiametri Lunæ visualis, & sic haberes eam signatam in quinque locis, & semper erit centrum eius in linea transitus eius à principio ad finem.

Typus Eclipſeos Lunæ.

SEPTENTRIO.



MERIDIES.

SECVNDÆ PARTIS
commentariorum
finis.

TERTIA PARS COMMENTARIORVM AND. PERLACHII.

PROPOSITIO I.

Generalia quædam pro faciliori tertiæ partis siue faciei intellectu premittere.

ASpectus Lunæ ad Solem & Planetas in dextra facie Ephemeridum sex columnulis continentur, quæ Solis ac Planetarum sex proprias notas in capitibus præ se ferunt, aspectuum quidem differentijs per characteres etiam suos designatis, horis autem quibus aspectus ipsi perficiantur, à meridie initium sumentibus: verùm coniunctiones Luminarium, oppositiones & quadraturæ non solùm horis, sed etiam minutis eorum adnotantur in columnula Solis, iuxta quam etiam à sinistris est numerus dierum mensis cuiusque, vt aspectus vniuersi temporibus certis possint assignari. Deinde sequuntur aspectus Solis & Planetarũ inter se sparsim, vt ratio motuum exigit, inserti: neque deest Lunæ cum capite caudaque Draconis sui congressio. Postremò peculiare quoddam Planetis à Sole accidens indicatur, quando videlicet Orientales Occidentales ue sint, huiusmodi accidentia duplices insinuant syllabæ Or. & Oc. in capitibus quinq; columnularum positæ.

PROPOSITIO II.

Tempus verum coniunctionis, oppositionis ac quadraturæ Luminarium in quolibet mense deprehendere.

IN dextra facie Ephemeridum quære nomen mensis tui propositi, & sub eo ponitur eius numerus dierum, & circa eos dies inuenies tres characteres, ☌, ☍, & □, si igitur quæris coniunctionem Solis & Lunæ, tunc accipe hunc characterem ☌: si oppositionem, illum ☍: si quadraturæ, talem □, & à sinistris poni-

tur dies, è regione verò in columna ☉ offertur duplex numerus, primus horas, ſecundus autem minuta repræſentat, & habes diem, horam ac minutum, quibus ☌, ☍, & □, fiunt in propoſito menſe, & hoc ad meridianum Tubingenſem. Etſi Luna habeat etiam cum reliquis Planetis ☌, ☍, & □, non tamen minuta adnotantur, quibus fiunt, ſed tantùm horæ deſignantur, eò quòd coniunctiones, oppoſitiones & quadraturæ Lunæ cum alijs Planetis nō habent tantam vim alterationis in elementis & elementatis, ſicut ☌, ☍, ac quadraturæ Luminarium.

Coniunctio autem & oppoſitio vera eſt duplex: quædam fit ſecundum longitudinem tantùm, vt cùm duo Planetæ, aut Planeta cum ſtella fixa, ſunt in eodem ſigno, gradu ac minuto, ſed habent diuerſam latitudinem aut inæqualem. Quædam verò fit ſecundum longitudinem & latitudinem ſimul, vt cùm duo Planetæ, aut Planeta cum ſtella fixa, ſunt in eodem ſigno, gradu ac minuto, & cum hoc habent eandem latitudinem & æqualem, & talis coniunctio omnibus reliquis aſpectibus eſt fortiſsima, in qua coniunctione ſi Planetæ coniungūtur, inferior ſuperiorem eclipſat aut occultat, aut ſi Planeta ita coniungatur cum ſtella fixa, ipſe ſtellam fixam eclipſat.

Exemplum. Volo ſcire, qua die, hora ac minuto fiant ☌, ☍, □ Solis ac Lunæ in menſe Iunio anni 1547. quæro menſem Iunium, & in facie dextra inuenio inprimis ☍, & à ſiniſtris tertium diem, verſus dextram autem ſub charactere Solis, o. 26. id eſt, o. ho. 26. mi. Dico igitur, quòd oppoſitio in menſe Iunio fiet die 3. ho. o. mi. 26. poſt meridiem. Pòſt inuenio □ decreſcentis Lunæ die 10. ho. 10. Deinde apparet character ☌ die 17, ho. 1. mi. 22. Poſtremò □ Lunæ creſcentis die 24. ho. 14.

PROPOSITIO III.

An tempus ☌, ☍, aut □, ſit verum ac pręciſum, aut deprauatum, examinare.

PRimò quęre differentiam diei æqualis & inęqualis, eam ſubtrahe à tempore ☌, ☍, aut □, & habebis tempus ad dies æquales, quia tempora aſpectuū ☌, ☍, & □, ſunt ad dies inęquales rectificata, deinde ſupputa per 7. ſecundæ partis, ad tale tempus, verū ☉ & ☽ motum, ſi fuerint in eiſdem gradib. & minutis, vel in ſimilibus, tunc tempus ☌, ☍, aut □, verum & præciſum eſt: ſi verò non, tunc rectifica tale tempus ſecundū modum ſequentem. Primò quære per 6. propoſitionem 2. partis, motum

tum Solis & Lunæ in hora, quem ſerua ad partem, Secundò ſubtrahe verum motum Lunæ in meridie eius diei, qua ponitur ☌, ☍, aut □, ſcriptum à vero motu Solis eiuſdem diei, in gradibus & minutis, accommodato integro ſigno, cùm ſubtractio fieri nequit, & reſiduum dicitur diſtantia Lunæ à Sole, quæ etiam ſeruetur ad partem, Tertiò ſubtrahe motum Solis in hora à motu Lunæ in hora, reſiduum erit diuiſor. Diuide itaq; diſtantiam ad partem ſeruatam, reductis inprimis diſtantia & diuiſore ad eandem denominationem, ſi fuerint diuerſarum, & in quotiente proueniunt horæ: ſi quid reſiduũ fuerit, multiplica per 60. productum iterum diuide per priorem diuiſorem, & in quotiente proueniũt minuta horæ: & ſi quid remanſerit in reſiduo, iterum multiplica per 60. & diuide per priorem diuiſorem, quotiens habet ſecunda horæ. Si acciderit, cùm diſtantia & diuiſor ad vnam denomiationem redacti, & diuiſio fieri nequit, tunc nulla erit hora, & productum multiplicetur per 60. & diuidatur per diuiſorem, prouenient minuta in quotiente, & procede conſequenter, ſicut dictum eſt, vſque habueris ſecunda horæ, quæ ſi 30. excreſcunt, adde vnitatem ad minuta: ſi fuerint pauciora, rejice, & habebis verũ tempus ☌, ☍, aut □, diebus non æquatis, cui adde per 9. ſecundæ partis, differentiam diei æqualis & inęqualis, & productum erit verum tempus ☌, ☍, & □, diebus æquatis, quod ſi concordauerit cum tempore in Ephemeride ſcripto, verũ & præciſum tempus ☌, ☍, aut quadraturæ propoſitæ habes: ſi non, depraua tum erit, & tuum tempus inuentum, modò rectè operatus ſis, pro vero habeto: ſi in vno aut altero minuto diſcordauerit, pro nihilo eſt habendũ, cùm in motu ☉ & ☽ ſecun. prętermiſſa ſint: ſi enim exceſſerunt 30. integrũ mi. ſumptum eſt: ſi pauciora fuerunt, ſunt reiecta, ob id etiam quandoq; plura quandoq; pauciora minuta, quàm in Ephemeride notãtur, prouenire poſſunt, vltra tamen 3. mi. differentia nõ eſt ferenda. Et ſi certus eſſe velis, an tuum tempus verũ & præciſum fuerit, ſupputa veros motus ☉ & ☽ ad tempus per te inuentũ diebus non æquatis, ſi fuerint in eiſdem gradibus ac minutis, aut ſimilibus, verum eſt tempus: ſi non, reitera laborem, donec reſpondeãt. Poſsibile tamen eſt, motus Solis ac Lunæ eſſe deprauatos, & tempus ipſum verum eſſe: oporteret ergo eorundem probare motus ex proprijs tabulis. Exemplum. Volo examinare tempus ☍ Solis & Lunæ, quæ fit 4. die Maij anno 1547. quæro motum Solis in hora, & eſt 2. mi. 22. ſec. Motus Lunæ in hora, 30. mi. 2. ſec. quæ ſeruo ad partem, Deinde ſubtraho motum Lunæ in meridie ſcriptum, ſcilicet 18. gra. 6. minu. à motu Solis, ſcilicet 22. gra.

45. mi.

45. mi. residuum est 4. gr. 39. mi. distantia Solis & Lunæ in meridie, hanc distantiam seruo ad partem, pòst subtraho motum Solis in hora à motu Lunæ in hora, residuum est 27. mi. 40. sec. quia distantia & diuisor sunt diuersarum denominationum, reduco ambo ad vnam, scilicet ad secun. & erit distantia 16740. sec. diuisor verò 1660. & in diuisione proueniunt 10. horæ, in residuo manent 140. secund. quæ multiplicata per 60. producũtur 8400. ter. & diuisa per priorem diuisorem, quotiens est 5. minu. residuum est 100. ter. quæ iterum per 60. multiplicata, veniunt 6000. quar. ea iterum diuisa per priorem diuisorem, quotiens est 3. secun. & ita elicio tempus 10. horarũ, 5. mi. 3. sec. ad dies non æquatos, huic tempori addo differentiam diei æqualis & inæqualis, quæ est 20. mi. proueniunt 10. ho. 25. mi. 3. sec. quæ abijcio. Differentia itaque temporis inter Ephemerides & tempus supputatione inuentum, est tantùm vnum minutum, de quo non est curandum. Dico itaque tempus & præfatum verum & præcisum esse, & non deprauatum: ita etiam in alijs est agendum.

PROPOSITIO IIII.

Tempora sedecim laterum, quæ Luna cum Sole in quolibet mense Lunari faciat, inquirere.

VT Sol motu suo proprio in signifero quatuor anni tempora facit, deinde etiam Luna motu suo proprio 12. menses efficit in anno: Et vt Sol in vno anno facit quatuor anni tempora, ita Luna similia quatuor tempora saltem in qualitate in vno mense perficit, quas quartas mensis Lunaris appellamus. Prima quarta incipit à coniunctione Solis & Lunæ, donec Luna distiterit à Sole per 90. gradus, per quartam videlicet circuli partem, cùm medietas eius est illuminata. Secunda quarta donec bis 90. gradibus, id est, 180. siue per medietatem circuli distat à Sole, quando scilicet est plena lumine. Tertia quarta, cùm ter 90. gra. siue 270 gradibus à Sole distat, & secundò dimidiata lumine appareat. Quarta quarta, cùm quater 90. gradibus à Sole distiterit, & iterum ad nouam coniunctionem applicat. Et vt totus circulus Zodiaci inprimis diuiditur in 4. quadras, quas Luna in vno mense cum Sole perficit, ita etiam quælibet quarta iterum diuiditur in 4. partes, & erunt 16. partes circuli, sedecagoni appellati, quos Luna cum Sole in vno mense motu proprio compleat,

qui

qui anguli non paruam vim habent in auræ mutatione. Constat autem latus sedecagoni ex 22. gra. 30. minutis, cùm itaque Luna distiterit à Sole post coniunctionem 22. gr. 30. mi. compleuit primum sedecagonum: secundum verò, cùm bis tantum distiterit, id est, 45. gradibus, siue 1. sig. 15. gradibus: tertiũ, cùm ter tantum, id est, 67. gr. 30. mi. siue 2. sig. 7. gr. 30. mi. quartum, cùm 90. gr. siue præcisè 3. signis, & est finis primæ quartæ. Quintum, cùm 112. gr. 30. mi. siue 3. sig. 22. gr. 30. mi. Sextũ, cùm 135. gr. siue 4. sig 15. gr. Septimum, cùm 157. gr. 30. mi. siue 5. sig. 7. gr. 30. mi Octauum, cùm 180. gr. siue 8. sig. præcisè, & est finis secundæ quartæ. Nonum, cùm 202. gr. 30. minu. vel 6. sig. 22. gr. 30 mi. Decimum, cùm 225. gradibus, vel sig. 7. gr. 15. Vndecimũ, cum 247. gr. 30. mi. vel 8. sig. 7. gr. 30. mi. Duodecimum, cum distat à Sole per 270. gr. vel 9. sig. & est finis tertiæ quartæ. Decimum tertiũ, cum per 292. gr. 30. mi. siue sig. 9. gr. 22. mi. 30. Decimum quartũ, cum per 315. gr. 0. mi. vel 10. sig. 15. gr. Decimum quintũ, cum per 337 gr. 30. mi. vel per 11. sig. 7. gr. 30. mi. Decimum sextũ, cum per integrum circulum, vel 12. signa, & est finis 4. quartæ, & initium nouæ lunationis. Ex his constat, primas quatuor quartas partes esse figuræ sedecagonorum. Et vt quæruntur tempora ☌, ☍, & □ ex Ephemeridibus, eo modo possunt etiam inquiri tempora sedecagonorum.

Pro inquirendis itaque temporibus, quando Luna illos sedecagonos peragret ac perficiat cum Sole, subsequens Canon est considerandus. Primò, cum scire volueris, qua die, hora & minuto Luna ad primum angulum applicat, adde ad locum coniunctionis Solis & Lunæ 22. gr. 30. mi. considerando etiam diligenter numerũ signorum à principio Arietis vtriusque Luminaris. Secundò, aggregatum ex additione in sig. gradibus & minutis, quære in columna Lunæ in Ephemeridibus, si præcisè inueneris aggregatum, diem è regione repertum scribe ad partem, deinde subtrahe locum Solis in meridie eiusdem diei in signis, gradibus & minutis, à loco Lunæ etiam in signis, gra. & minutis, & residuũ si æquale fuerit lateri sedecagoni, scilicet 22. gr. 30. mi. tunc habes, quòd Luna directè in meridie eiusdem diei primum latus sedecagoni peragrauit secundum dies non æquatos ad meridianũ, pro quo Ephemerides sunt supputatæ, cui adde æquationem dierum, & habebis tempus ad dies æquatos: si tale tempus ad aliũ meridianum habere volueris, vtere tabula regionum in Ephemeridibus posita, & habebis tempus rectificatum ad alium meridianum, ad quod erigatur figura cœli cum inscriptione locorum

Planetarum, & iudica de mutatione auræ ſecundum doctrinam Ptolemæi & aliorum Aſtrologorum.

Si verò reſiduum poſt ſubtractionem non æquale fuerit lateri ſedecagono, & fuerit minus, ſubtrahe reſiduum à latere ſedecagoni, & habebis diſtantiam Lunæ ab angulo ſedecagoni, qua diſtantia habita, quære tempus in horis & minutis, vt quæruntur tempora ☌, ☍, & □, ex Ephemeridibus, quod tempus ſcribe è regione diei prius extra notati, & habebis tempus in diebus, horis & minutis, quo Luna attingit angulum primum ſedecagoni ſecundum dies non ęquatos. Et vt certior ſis in calculo tuo, quære ad idem tempus vera loca Solis & Lunæ, ſi diſtiterint inter ſe ſecundum latus primi ſedecagoni, erit tempus tuum præciſum: ſi non, quære differentiam loci Lunæ & lateris ſedecagoni, ſcilicet 22. gr. 30. mi. & quære tempus illi diſtantiæ reſpondens, vt prius, id tempus adde ad tempus prius repertum, ſi locus Lunæ fuerit minor latere ſedecagoni, vel ſubtrahe, ſi maior, & habebis præciſum tempus, quo Luminaria diſtant per interuallum lateris ſedecagoni propoſiti diebus non æquatis, cui tempori adde æquationem dierum, &c. vt prius monitum eſt.

Quod ſi aggregatum ex additione in ſignis, gradibus & minutis non præciſè reperiatur in columna ipſius Lunæ, accipe numerum proximo minorem in columna Lunæ, & quære diſtantiam Solis & Lunæ eiuſdem diei, quæ ſi æquat latus ſedecagoni, procede vt ſuperius dictum eſt.

Si verò ea diſtantia non æquat latus ſedecagoni, ſubtrahe diſtantiam Luminarium prius inuentam ab interuallo ſedecagoni propoſiti, & habebis diſtantiam, quantum Luna diſtat ab angulo ſedecagoni propoſiti, qua diſtantia cognita quærendum eſt tempus in horis & minutis, vt ſupra dictũ eſt, quomodo ſcilicet quæruntur tempora ☌, ☍, & □ ex Ephemeridibus, ad quod tempus ſupputanda ſunt vera loca Solis & Lunæ, ſi diſtant inter ſe per interuallum ſedecagoni tui propoſiti, habes tempus præciſum: ſi non, quære iterum differentiam loci Lunæ & ſedecagoni tui propoſiti, & tempus illi differẽtiæ ſiue diſtantiæ reſpondens adde vel minue, vt iam paulò ante dictum eſt, & habebis pręciſum tempus, quo Luna à Sole diſtat per interuallum ſedecagoni tui propoſiti ad dies non æquatos, deinde adde etiam æquationem dierum, & ſi opus ſit, rectifica ad meridianum tuum propoſitum, pòſt erigatur figura cœli, vt prius monitum eſt.

Abſoluto itaq; primo ſedecagono cum veris locis Luminariũ in gradibus & minutis, pro ſecundo ſedecagono adde ad verum locum Lunæ in pręcedenti ſedecagono rectificatũ, 22. gr. 30. m.

&

& aggregatum vt prius, in ſignis, gradibus & minutis in columna Lunæ quærendo, ſi aggregatum vel præciſè inueneris, vel proximum minorem numerum acceperis, procedendum tibi erit vt in primo ſedecagono dictum eſt.

Modus autem quærendi tempus in horis & minutis ſedecagonorum talis eſt: Cognita ex præcedentibus diſtantia Lunæ à latere ſedecagoni tui propoſiti, primò quære ad diem extra notatum, vt ſuprà dictum eſt, motum Solis in hora, ſimiliter etiam Lunæ, quæ ſerua ad partem, ſecundò ſubtrahe motum Solis in hora à motu Lunæ in hora, reſiduum erit diuiſor, per quem diuide diſtantiam Lunæ ab interuallo ſedecagoni propoſiti, reductis in primis diſtantia & diuiſore ad eandem denominationem, ſi fuerint diuerſarum, & in quotiente proueniunt horæ: ſi quid manſerit in reſiduo, multiplica per 60. productum iterum diuide per priorem diuiſorem, & in quotiente proueniunt minuta horæ: ſi iterum quid in reſiduo manſerit, eo multiplicato vt prius, per 60. & diuiſo cum diuiſore priori, proueniunt in quotiente ſecunda horæ, habebis itaq; tempus in horis, minutis & ſecund. poſt meridiem diei prius extra notati, quo Luna diſtat à Sole per interuallum ſedecagoni tui propoſiti, ad quod, vt certus ſis, ſupputa locum Solis & Lunæ, & diſtabunt, ſi tempus tuum eſt præciſum, directè per interuallum ſedecagoni tui propoſiti: ſi ſecus fuerit, quærenda eſt iterum diſtantia, & procedendum, vt prius eſt admonitum. Quod ſi accideret poſt reductionem diſtantiæ & diuiſoris in vnam denominationem, quod diuiſio non fieri poſſet, tunc nulla erit hora in quotiente, deinde multiplica diſtantiam per 60. habebis in quotiente minuta horæ, quot videlicet poſt meridiem Luna attingat ſedecagonum propoſitum.

Exempli gratia, proponatur ☌ ☉ ☽, quæ accidit anno 1550. die 17. Ianuarij hora 10. mi. 37. ad meridianum Tubingenſem, & ea coniunctio accidit in 7. gr. & 54. mi. Aquarij, Volo quærere, qua die, hora ac minuto Luna perficiat primum ſedecagonum, addo ad locum coniunctionis, ſcilicet ad 7. gr. 54 m. Aquarij, 22. gr. 30. mi. & aggregatum eſt 0. gr. 24. mi. Piſcium, quia non pręciſe reperio aggregatum in columna Lunæ, accipio proximo minorem, ſcilicet 26. gr. 19. mi. Aquarij, è regione diei 19. Ianuarij, ad eundem diem quæro diſtantiam Solis & Lunæ in ſignis, gradibus & minutis, ſubtraho itaque motum Solis à motu Lunæ, poſt ſubtractionem relinquitur 0. ſig. 16, gra. 49. mi. at primi ſedecagoni interuallũ eſt 22. gr. 30. mi. reſiduo itaq; ſubtracto ab interuallo ſedecagoni relinquitur diſtantia, quantũ Luna diſtat ab interuallo ſedecagoni, & eſt 5. gra. 41. minutorum.

Habita itaque distantia, quæro ad diem extrà notatum, scilicet 19. diem Ianuarij, motum Solis in hora, & est 2. mi. 32. sec. similiter motum Lunæ in hora, & est 29. mi. 30. sec. subtraho motum Solis in hora à motu Lunæ in hora, residuum est 26. mi. 58. secun. quod diuisoris nomen obtinet. Diuido itaque distantiam prius inuentam, scilicet 5. gr. 41. mi. per diuisorem iam elicitum, & inuenio horas 12. mi. 38. sec. 42. Dico itaque sedecagonũ primũ perfici die 19. hora 12. mi 38. sec. 42. ad quod tempus supputo vera loca Luminariũ, erit verus locus ☉ 10. sig. 10. gr. 2. mi. ♒, verus locus Lunæ 11. sig. 2. gr. 31. mi. ☾. subtraho locum Solis à Loco Lunæ, differentia est 0. sig. 22. gra. 29. mi. & distantia deberet esse 22. gr. 30. mi. & differentia est vnum minutum minus, quàm sit interuallum primi sedecagoni, cui respondent 2. minuta temporis, quæ sunt addenda ad primum tempus, & erit præcisum tempus horæ 12. minu. 40. sec. 42. ad dies non æquatos, & erit verus locus Lunæ 2. gr. 32. mi ☾. cui tempori addo ęquationem dierum, scilicet 56. sec. erit tempus æquatum horæ 12. mi. 41. sec. 38. ad meridianum Tubingensem, ad quod figura cœli est erigenda. Quod si ad alium meridianum illud tempus habere volueris, vtere tabella regionum pro loco tuo proposito, & habebis tempus tui sedecagoni ad locum tuum propositum, ad quod erigenda erit figura cœli pro loco tuo.

Pro secundo sedecagono inquirendo addo ad locum Lunæ primi sedecagoni, scilicet ad 2. gr. 32. mi. ☾. 22. gr. 30. minuta, & aggregatum est 25. gr. 2. mi. ☾. quod non præcisè reperio, accipio numerum proximo minorem in columna Lunæ, scilicet 19. gr. 47. mi. ☾, è regione diei 21. Ianuarij, ea die quæro distantiam Solis & Lunæ, & est sig. 1. gr. 8. mi. 15. interuallum autem secundi sedecagoni est sig. 1. gr. 15. quæro differentiam, quæ est gr. 6. mi. 45. & est distantia Lunæ à latere secundi sedecagoni, motus Solis in hora ad diem præfatum est 2. mi. 32. sec. Lunæ verò 29. mi. 40. sec. diuisor 27. mi. 8. sec. quotiens in tempore horæ 14. mi. 55. sec. 34. Locus Solis verus ad idem tempus 10. sig. 12. gr. 10. mi. locus Lunæ verus 11. sig. 27. gr. 10. mi. differentia horum duorum motuum 1. sig. 15. gr. quæ distantia æquat interuallum secundi sedecagoni: erit itaque tempus prius inuentum præcisum, quo Luna perficit secundum sedecagonũ, die 21. Ianuarij hora 14. mi. 55. sec. 34. ad meridianum Tubingensem, cui addo æquationem dierum, & etiam si opus est, tempus longitudinis addendo vel minuendo, prout ratio ipsa expostulat, ad quod erigenda erit figura cœli.

Pro

Pro tertio ſedecagono iterum addo ad locum Lunæ præcedentis ſedecagoni 22. gr. 30. mi. & aggregatũ eſt 19. gr. 40. mi. Arietis, quem locũ non præciſè reperio, accipio igitur proximo minorem, ſcilicet 13. gr. 48. mi. ♈. è regione diei 23. Ianuarij, differentia Luminarium ea die eſt 2. ſig. 0. gr. 14. mi. interuallum autem tertij ſedecagoni eſt 2. ſig. 7. gr. 30. mi. differentia horum duorum numerorum eſt 7. gr. 16. mi. quæ pro diſtantia habetur, Motus Solis in hora 2. mi. 32. ſec. Lunæ verò 31. mi. 22. ſec. diuiſor 28. mi. 50. ſec. quotiens horæ 15. mi. 7. ſe. 17. Locus ☉ verus ad idem tempus 10. ſig. 14. gr. 12. mi. locus ☽ verus 0. ſig. 21. gr. 42. mi. differentia horũ duorum numerorũ eſt 2. ſig. 7. gr. 30. mi. quæ æquat interuallũ tertij ſedecagoni, ergo tempus prius inuentũ eſt præciſum ad dies non æquatos.

Quartum ſedecagonum facit prima quadratura, cuius tempus patet ex Ephemeridibus, & fit die 25. Ianuarij hora 12. mi. 28. locus Solis verus 16. gra. 7. mi. ♒. locus Lunæ verus 16. gra. 7. mi. ♉.

Pro quinto ſedecagono, addo iterũ 22. gr. 30. m. ad locum ☽ præcedentis ſedecagoni, & aggregatum eſt 8. gr. 37. mi. ♊, accipio numerum proximo minorem ex Ephemeridibus, ſcilicet 6. gr. 14. mi. ♊, die 27. Ianuarij, differentia Luminarium ea die eſt ſig. 3. gr. 18. mi. 30. interuallum autem ſedecagoni quinti eſt 3. ſig. 22. gr. 30. mi. differentia horũ duorum numerorum eſt gr. 3. mi. 53. quæ eſt diſtantia Lunæ ab interuallo ſedecagoni quinti, die videlicet 27. Ianuarij, Motus Solis in hora 2. mi. 32. ſec. Lunæ verò 35. mi. 10. ſec. diuiſor 32. mi. 38. ſec. quotiens horæ 7. mi. 7. ſec. 57. Locus Solis verus 17. gr. 55. mi. ♒, Lunæ verò 10. gr. 25. mi. ♊, differentia in longitudine 3. ſig. 22. gr. 30. mi. & differentia Luminarium æquat quintum ſedecagonum, ergo tempus inuentum eſt præciſum ſecundum dies non æquatos, de æquatione dierum & longitudine locorũ ago, vt in primo ſedecagono eſt admonitum.

Pro ſexto ſedecagono, addo ad locum Lunæ præcedentis ſedecagoni 22. gr. 30. mi. & aggregatum eſt 2. gr. 55. mi. Cancri, proximus minor numerus in columna ☽ eſt 20. gr. 18. mi. ♊, die 18. Ianuarij, ea die diſtantia Luminarium eſt 4. ſig. 1. gra. 40. mi. interuallum aũt ſexti ſedecagoni eſt 4. ſig. 15. gr. differentia horum numerorum eſt gr. 13. mi. 20. quæ eſt diſtantia Lunæ à latere ſedecagoni, Motus Solis in hora 2. mi. 30. ſecun. Lunæ verò 36. minu. 10. ſec. diuiſor 33. mi. 40. ſec. quotiens ho. 23. mi. 45. ſe. 44. motus Solis verus ſig. 10. gr. 19. mi. 37. verus Lunæ locus ſig. 3. gr. 4. mi. 38. differentia horum duo-

rum numerorum sig. 4. gr. 15. mi. 1. Interuallum autem sextisedecagoni est sig. 4. gr. 15. differentia est 1. minutum plus, cui respondent 2. mi. temporis, quæ demenda sunt ex tempore prædicto, & erit verum & præcisum tempus horæ 23. mi. 43. sec. 44. à meridie diei 28. cui addo æquationem dierum & reliqua, vt prius monitum est. Ita quoque inuenies tempus septimi sedecagoni die 30. Ianuarij hora 15. mi. 10. ad dies non æquatos.

Octauus autem sedecagonus est idem cum tempore oppositionis Solis & Lunæ.

PROPOSITIO V.

An in aliqua ☌, vel ☍ Luminarium possibilis sit Eclipsis, indicare.

LIcet in Ephemeridibus notentur Eclipses Solis & Lunæ, si quæ accidunt aliquo anno supra terram, sæpe tamen fiunt sub terra, quæ non signantur, quarum notitia etiam necessaria est Astrologis: habent enim coniunctiones & oppositiones Luminariũ Eclipsales, licet fiant sub terra, maiorem vim, quàm quæ non sunt Eclipsales. Vt autem Eclipsis Solis non fit, nisi in coniunctione Solis & Lunæ, sed non in omni coniunctione, ita etiam Eclipsis Lunæ non fit, nisi in oppositione Solis & Lunæ, sed non in omni oppositione. Volo itaq; scire, an in proposita aliqua coniunctione aut oppositione possibilis sit Eclipsis. Si igitur fuerit coniunctio, quero argumentum latitudinis Lunæ verum ad tempus coniunctionis propositæ, si tale argumentum fuerit 0. in signis & minus 21. gradibus, aut 5. in signis & plus 9. gradibus, aut 6. in signis & minus 8. gradibus, aut 11. in signis & plus 22. gradibus, tunc est possibilis Eclipsis Solis, & si per Tabulas Eclipsium quæsieris latitudinem Lunæ visam, & ea maior fuerit 34. minutis, non expectanda est Eclipsis: si verò minor fuerit, sine dubio apparebit Eclipsis Solis.

Si autem fuerit oppositio, quæro argumentum latitudinis Lunæ verum, si fuerit 0. in signis & minus 14. gradibus, aut 5. in signis & plus 16. gradibus, aut 6. in signis & minus 14. gradibus, aut 11. in signis & plus 16. gradibus, tunc possibilis est Eclipsis Lunæ. Deinde quære latitudinem Lunæ veram ad tempus oppositionis, si fuerit maior 65. minutis, non fiet Eclipsis Lunæ: si verò minor, fiet Eclipsis Lunæ. Exemplum. Anno 1547. die 4. mensis Maij, hora 10. mi. 26. fit ☍ Solis & Lunæ,

argu-

argumentum latitudinis Lunæ est 11. sig. 23. gr. 41. mi. quia est 11. signorum & plus 16. gradibus, possibilis ergo est Eclipsis Lunæ, sicut etiam notatur in prima facie Ephemeridum. Item die 18. eiusdem mensis fit coniunctio Solis & Lunæ, hora 17. mi. 17. & argumentum latitudinis Lunæ est 6. in signis, sed non minus 8. graduum, ergo non est possibilis Eclipsis Solis.

PROPOSITIO VI.

An Eclipsis fiat circa caput vel caudam Draconis Lunæ, explicare.

SI argumentum latitudinis Lunæ tempore Eclipsis fuerit 0. vel 11. in signis, tunc talis Eclipsis, siue sit Solaris, siue Lunaris, fit circa caput Draconis: si verò argumentum latitudinis Lunæ fuerit 5. vel 6. in signis, talis Eclipsis contingit circa caudam Draconis. Facilius tamen id deprehendes, si è regione diei, vel die immediatè præcedente vel sequente, qua contingit Eclipsis, in dextra facie sub titulo Solis & Planetarum inter se, inueneris hos duos characteres ☋ ☊, tunc fit in capite: si verò hos duos ☊ ☋, tunc accidit in cauda. Exemplum. Die 4. Maij anno 1547. fit Eclipsis Lunæ, & argumentum latitudinis Lunæ est 11. signorum, & ea fit in capite, & è regione diei, qua fit Eclipsis, sub titulo Solis & Planetarum inter se, die sequente ponuntur hi characteres ☋ ☊, fit igitur Eclipsis in capite Draconis Lunæ.

PROPOSITIO VII.

In Eclipsi Solari distantiam visibilis coniunctionis à vera elicere.

IN Eclipsi Solari propter diuersitatem aspectus, coniunctio vera Luminariũ non accidit eodem tempore cũ coniunctione visibili, nisi contingat in 90. gr. ab ascendente. Vera namq; est, vt ponitur in dextra Ephemeridis parte, in suo mense, die, ho. & minuto: visibilis autem coniunctio est tempus mediæ Eclipsis Solaris, quod ponitur in prima Ephemeridis facie, subtracto igitur tempore minori à maiori, residuum ostendit distantiam, qua visibilis ☌ præcedat aut sequatur veram coniunctionem:

quando

quando enim Eclipsis fit ante 90. gr. ab ascendente, visibilis ☾ semper præcedit veram, ob id tempus mediæ Eclipsis minus est in minutis coniunctione vera. Si verò fit post 90. gr. ab ascendente, visibilis ☾ semper sequitur veram, ob id tempus mediæ Eclipsis maius est in minutis tempore veræ ☾. Quando verò Eclipsis Solis accidit in 90. gradu ab ascendente, tunc tempus visibilis ☾ & veræ est idem. Exemplum. Anno 1547. fit Eclipsis Solis, die 12. Nouemb. ho. 2. mi. 9. post meridiem, vt notatur in prima Ephemeridum pagina anni præfati, tempus autem verum ☾ notatur in Nouembri in parte dextra Ephemeridum è regione 12. diei hora 1. mi. 54. post meridiem, subtracto igitur tempore minori à maiori, residuum est 15. mi. distantia visibilis ☾ à vera: quia fit post meridiem, ob id visibilis ☾ sequitur veram, & habet maius tempus.

PROPOSITIO VIII.

Tempus distantiæ veræ coniunctionis Luminarium aut aliorum Planetarum inter se vel cum stellis fixis à meridie calculare.

COnsidera tempus coniunctionis, an sit ante vel post meridiem: si fuerit post meridiem, ipsum tempus pomeridianũ ostendit distantiã à meridie. Si verò fuerit ante meridiem ipsa ☾, subtrahe tempus ☾ à 12. horis, si horæ obseruantur iuxta horologium dimidium: si verò iuxta horologium integrũ à meridie, tunc subtrahe tempus coniunctionis à 24. horis. Exemplum. Anno 1547. die Maij 18. hora 17. mi. 17. fit ☾. volo scire distantiam à meridie, id est, quot horis fiat ante meridiem, quia tempus coniunctionis computatur secundum horologium integrũ, subtraho igitur tempus ☾ à 24. & residuũ est ho. 6. mi. 43. Secundum autem dimidium horologium præfata ☾ fit hora 5. mi. 17. ante meridiem: si tempus ipsum ☾ subtrahitur à 12. horis, idem prouenit, 6. videlicet horæ, 43. minuta.

PROPOSITIO IX.

Aspectus Lunæ cum Sole & reliquis Planetis comperire.

In

IN dextra facie Ephemeridum è regione diei tui propositi in sex columnulis inuenies aspectus cum hora adiuncta, quos ea die Luna cum Planetis habet. Cuius enim Planetæ character in eadem columnula, vbi ponitur aspectus, suprà in capite apparuerit, cum eo Planeta Luna habet talem aspectum. Exemplum. Die 12. Iunij anno 1547. inprimis se offert ✳ aspectus Lunæ cum ☉ hora 15. Deinde aspectus △ Lunæ cum ♄ hora 18. Post □ aspectus Lunæ cum ♂ hora 13. Vltimò ✳ aspectus Lunæ cum ☿ hora 8. post meridiem.

PROPOSITIO X.

Proposito aspectu Lunæ cum aliquo Planeta, qua die mensis propositi accidat, explorare.

INprimis accipe propositum mensem, deinde in dextra facie Ephemeridum quære in capite columnarum characterem Planetæ, cum quo Luna aspectum propositum habeat, & sub eo charactere in sua columnula considera characterem propositi aspectus, & è regione versus sinistram offertur dies mensis propositi. Exemplum. Volo scire, qua die fiat coniunctio Lunæ cum Ioue in mense Iunio anni 1547. accipio mensem Iuniū, & in dextra facie in capite, characterem Iouis, talem videlicet ♃, & sub eo inquiro characterem coniunctionis, talem videlicet ☌, & è regione versus sinistram offertur dies 9. Iunij, Dico igitur die 9. Iunij hora 6. post meridiem accidere propositum aspectum. Hæc propositio multùm valet in electionibus.

PROPOSITIO XI.

Tempus aspectuum Lunæ cum Planetis in horis probare.

QVere inprimis per 6. secundæ partis, motum Lunæ in vna hora, ea die, qua ponitur aspectus, similiter etiam Planetæ illius, cum quo habeat aspectum, & serua ad partem, deinde subtrahe motum Lunæ in Ephemeride scriptum à motu Planetæ, accommodatis 30. gradibus, si subtractio fieri nequit, & erit distantia Lunæ à Planeta, pòst subtrahe motum Planetæ in hora

à motu Lunæ in hora, si Planeta, cum quo coniungitur Luna, directus fuerit: aut adde simul, si fuerit retrogradus, & residuum post subtractionem, aut aggregatum post additionem erit diuisor, cum quo diuide distantiam, reductis inprimis diuisore & distantia in vnam denominationem, & procede sicut dictum est in propositione 3. huius 3. partis, & inuenies horas & minuta, aut minuta tantũ, quibus accidit aspectus: si minuta excesserint 30. pro illis accipe vnam horam, & adde vnitatem ad horas prius inuentas: si fuerint pauciora 30. reijciantur, & habebis verũ tempus in horis aspectus propositi, si modò benè operatus es, quod si concordauerit cum Ephemeride, numerus horæ benè est positus: si non, numerus est deprauatus, & tuum tempus inuentum pro vero tempore scribe. Exemplum. Die 9. Iunij hora 6. post meridiem fit ☌ Lunæ cum Ioue, volo scire, an tempus illud sit verum vel deprauatum, quero vtriusq; Planetæ motum in hora, & est motus Lunæ in hora 34. mi. 7. sec. Iouis autem motus in hora 5. sec. deinde subtraho motum Lunæ in meridie à motu Iouis, residuum est 3. gr. 34. minu. distantia videlicet Lunæ à Ioue, post subtraho motum in hora minorem à maiori, residuum est 34. mi. 2. sec. diuisor, reductis igitur distantia & diuisore in vnam denominationem, videlicet ad secunda, erit diuisor 2042. secũ. distantia verò 12840. sec. diuido itaque distantiam per diuisorem, in quotiente proueniunt 6. horæ, & in residuo manent 588. sec. quæ reducta ad tertia, & diuisa per priorem diuisorem proueniunt 17. sec. quæ quia pauciora sunt quàm 30. reijcio, & sic certus sum, tempus aspectus esse verum & præcisum.

PROPOSITIO XII.

An aspectus Lunæ cum Planetis diebus suis, quibus ponuntur, respondeant, experiri.

SÆpe accidit, aspectus Lunæ cum Planetis diebus, quibus poni deberent, non respondere, ita vt in alium diem vitio Calcographorum ponantur, illud experiri ita potes: Supputa verum locũ Lunæ & alterius Planetæ ad eam horam, qua fit aspectus, deinde subtrahe verum motum Planetæ, qui minorem habet longitudinem à principio ♈, in signis, gradibus & minutis, à Planeta, qui habet maiorem longitudinem, & residuum ostendit distantiam Planetarũ, quam diligenter considera: Si enim est ☌,

debent

debent Planetæ esse in eodem signo, gradu ac minuto: si ✳ aspectus, talis distantia debet esse præcisè 2. signorum: si □ aspectus, 3. signorum: si △, 4. signorum præcisè: si ☍, est præcisè 6. signorũ: & dicuntur aspectus sinistri. Si plura signa quàm 6. remanerent in residuo, tunc subtrahe maiorem longitudinem à minori, accommodatis 12. signis, & hi aspectus dicũtur dextri. Si verò talis distantia suo aspectui non respondet præcisè, aspectũ ipsum ad eum diem, quo ponitur, nõ respondere, sed in alium diem, antè vel pòst, vbi talis distantia inter Planetas accidit. Nota quòd in aspectibus Lunæ quandoq; vsq; ad 15. mi. possibile est esse pauciora, aut plura, quòd distantia nõ est præcisa in signis, id fit quidem, quòd minuta in tempore aspectuum, quando 30. excesserant, accepta est pro illis integra hora, cùm autem fuerant pauciora, reñciebantur: talis autem distantia in aspectibus Lunæ quando accidit, non est curanda, si non fuerit maior.

Exemplum. Die 8. Iunij anno 1547. fuit △ Lunæ ad Solem hora 1. post meridiem, volo experiri, an respondeat veritati, ad eum diem supputo per 7. secundæ partis, verum Solis locum, qui est 26. gr. 7. mi. ♊, verus locus Lunæ 26. gr. 0. mi. ♒, quia longitudo Solis à principio Arietis est minor, subtraho eam à longitudine Lunæ, residuum est 7. sig. 29. gr. 53. mi. quia numerus signorum excedit 6. signa, subtraho maiorem longitudinem à minori accommodatis 12. signis, residuum est 4. sig. 0. gr. 7. mi. distantia inter Lunam & Solem: 4. autem signa faciunt △ aspectum, ergo benè ponitur ad diem 8. aspectus ille trinus: 7. autem minuta, quòd distantia non est præcisè 4. signorum, nullum faciunt errorem ob causam iam dictam.

PROPOSITIO XIII.

An character aspectus veritati respondeat, docere.

SÆpenumero fit, vt characteres aspectuũ deprauentur, quòd alter pro altero ponatur, ✳ pro △ aut □, & econtrà, id autem deprehendes sic: Quære per præcedentem, distantiam inter 2. Planetas, quæ si respondeat suo aspectui, benè: si non, ex distantia sua characterem aspectus emendare potes: si enim poneretur □ aspectus, & distantia Planetarũ esset præcisè 2. signorum, character ille esset deprauatus, & loco eius ponatur ✳, distãtia enim 2. signorum facit ✳ aspectum: ita in reliquis iudicato. Hæc & præcedens multùm seruiunt Astrologis.

PROPOSITIO XIIII.

Distantiam Lunæ in latitudine à Planetis, quibus coniungitur, manifestare.

LVna, quando coniungitur Planetis, quandoque multùm, quandoque parum distat à Planetis. Quanta verò talis sit distantia, hoc modo deprehendes: Quære per 34. secundæ partis, latitudinem Lunæ veram ad horam ☌ cum denominatione sua, per 29. & sequentes proposit. secundæ partis quęre latitudinem alterius Planetæ, cui videlicet Luna coniungitur, habitis vtriusque latitudinibus cum suis denominationibus, considera denominationes suas, si sunt eiusdem denominationis siue Septentrionalis vel Meridionalis, subtrahe minorem à maiori, residuum ostendet, quantum distant inter se in latitudine hora ☌, & ille, qui maiorem habet latitudinẽ, magis declinabit in eam partem, versus quam denominatio latitudinis fuerit. Exemplum. Die 21. Februarij anno 1547. hora 6. post meridiem fit ☌☽♀, volo scire distantiam in latitudine, quantum videlicet centrum corporis Lunæ distat à centro corporis Veneris, quæro per 34. secundæ partis, latitudinem ☽ veram ad tempus ☌, quæ est 4. gra. 17. mi. Septentrionalis descendens, latitudo autem ♀ est 5. gra. 5. mi. Septentrionalis ascendens, quia habent eandem denominationem latitudinis, subtraho minorem à maiori, residuum est 48. mi. distantia videlicet centrorũ corporum Lunæ & Veneris, & quia latitudo Veneris est maior latitudine Lunæ, Venus magis declinabit in Septentrionem quàm Luna, hora ☌.

Si verò duorũ Planetarum, qui coniunguntur, latitudines fuerint diuersarum denominationum. i. vna Septentrionalis, alia Meridionalis, adde latitudines, & aggregatum ostendit, quantum centra suorum corporũ in ☌ inter se distent. Exemplum. Die 9. Iunij anno 1547. fit ☌☽♃ hora 6. post meridiem, latitudo ☽ hora coniunctionis per 34. secundæ partis, est 4. gr. 50. mi. Septentrion. descendens, latitudo ♃ est 1. gra. 16. ferè mi. Merid. descendens: quia sunt diuersarũ denominationum, addo simul, productum est 6. gr. 6. mi. tantum distant centra corporũ hora ☌☽♃.

PROPOSITIO XV.

In quo gradu ac minuto fiat ☌ Lunæ cum Planeta, inquirere.

Quære

QVære verum motum Planetæ, cum quo fit coniunctio Lunæ, ad horam signatam in Ephemeridibus, in eo gradu ac minuto fit ☌ ☽ cum Planeta proposito. Exemplum. Coniunctio ☽ & ♃ die 9. Iunij anno 1547. fit in 12. gr. 50. minuto ♓.

PROPOSITIO XVI.

Partes Tabulæ quantitatis dierum declarare.

INprimis in qualibet facie tabellæ ponuntur duo signa Zodiaci opposita cùm in capite, tum in pede, primum Boreale, alterum Australe, pro vero loco Solis deseruientia: secundò per transuersum in capite ponuntur numeri quidam, eleuationes polares designantes: tertiò in extremitatibus tabulæ tum ad sinistram tum ad dextram ponitur linea numerorum, in sinistra parte in capite à 0. incipiendo, & descendendo vsque ad pedem tabellæ in 30. extendendo: in dextra verò parte in pede tabellæ à 0. incipiendo, ascendendo ad caput in 30. terminando. In area autem tabellæ sub qualibet polari eleuatione ponitur quantitas semidiurna in horis & minutis, si Sol signum Boreale, aut seminocturnum, si signum Meridionale decurrit. Sunt autem signa Borealia, quæ sunt in ea Zodiaci medietate, quæ tendit versus Boream siue Septentrionem, vt sunt illa 6. signa ab Ariete incipiendo in finem Virginis terminando, videlicet ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍. Australia verò signa sunt, quæ in medietate Zodiaci Australem vergunt siue Meridiem, & sunt, ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓.

PROPOSITIO XVII.

Quantitatem semidiurnam ac seminocturnam in horis ac minutis quolibet die inuenire.

ESt autem quantitas semidiurna, tempus in horis ac minutis ab ortu Solis vsque ad meridiem, qui semper est hora 12. diei, vel à meridie vsq; ad occasum, & dicitur meridies quasi medius dies, quot enim sunt horæ ab ortu Solis vsq; ad meridiem, tot etiam sunt à meridie vsq; ad occasum, & econtrà. Quantitas autem seminocturna dicitur tempus in horis & minutis ab occa-

ſu Solis vſq; ad mediam noctem, vel à media nocte vſque ad Solis ortum. Si volueris aliqua die propoſita ſcire quantitatem ſemidiurnam aut ſeminocturnam, inprimis quæratur verus locus Solis pro meridie eiuſdem diei, cum quo intra in tabulam quantitatis dierum, quærendo ſignum Solis in capite vel pede tabulæ: ſi ſignum in capite repertum fuerit, quære gradum Solis in extrema linea verſus ſiniſtram deſcendendo: ſi autem in pede, gradus Solis in extrema linea verſus dextram aſcendendo, & è regione gradus Solis ſub tua eleuatione poli habes quantitatem in horis & minutis, ſemidiurnam quidem, ſi Sol in ſigno Boreali fuerit: vel ſeminocturnam, ſi in Auſtrali: alterutra earum inuenta, ea ſubtracta ex 12. reliqua emerget. Nam ambæ quantitates ſimul ſemper conſtituunt 12. horas: quare ſi vna nota fuerit, nota erit etiam reliqua.

Exemplum. Volo ſcire vtramque quantitatem, tam ſemidiurnam quàm ſeminocturnam, ad diem vltimam Iunij in eleuatione poli 48. gr. anno 1547. quæro locum Solis ad eum diem, inuenio Solem in 17. gr. ♋, quia ſignũ in calce tabulæ reperitur, accipio gr. Solis in latere dextro aſcendendo, & è regione ſub eleuatione poli 48. gr. inuenio 7. ho. 49. mi. quia ſignum eſt Boreale, erit quantitas ſemidiurna, quam ſubtraho ex 12. horis, reſiduum eſt 4. horæ & 11. mi. quantitas ſeminocturna: ſi ambæ ſimul adduntur, conſtituunt 12. horas. Quod ſi minuta quępiam aut gradui Solis, aut eleuationi poli, aut vtriſque ſimul adhæſerint, agendum erit duplici introitu, tum ex parte loci Solis, tum eleuationis poli, & pars proportionalis ad 60. mi. quærenda, vt ratio Aſtronomica expoſtulat. In tabella autem quantitatis dierum Ioannis de monte Regio, & quorundam aliorum, oportet ex parte gradus Solis accipere partem proportionalem ad tres gradus: ſaltus enim tabellæ non de gradu in gradum procedit, ſed de tribus in tres, oportet igitur pro primo numero ponere 3. gr. pro ſecundo differentiam duorum introituum, pro tertio reſiduum de loco Solis, cum quo nõ potuit fieri introitus, & per regulam Detri quotiens inuentus adijciendus eſt ad angulum communem, ſi ſecundus introitus fuit maior: aut demendus, ſi minor.

Quod ſi omnimoda delecteris precisione in indaganda quantitate ſemidiurna ac ſeminocturna, primò quære illas quantitates prope verum, ſcilicet ſecundum locum Solis in meridie ſcriptum, deinde vide, quantum Sol in tali tempore ſemidiurno moueatur, talem motũ ☉ adde ad motum meridianum, & habes verum motum Solis pro tempore ſemidiurno indagando: pro ſeminoctur-

no

no verò subtrahe motum prædictum Solis à motu meridiano, & habebis verum locum Solis pro tempore seminocturno inquirendo.

PROPOSITIO XVIII.

Quantitatem diurnam nocturnamúe in horis ac minutis quocunque die anni deprehendere.

PEr præcedentem quęre quantitatem semidiurnam ac seminocturnam, quibus duplatis, per semidiurnam habetur quantitas diurna, per seminocturnam autem quantitas nocturna. Exemplum. Volo scire quantitatem diurnam ac nocturnam vltima die Iunij anno 1547. per præcedentem inuenio quantitatem semidiurnam 7. horarum, 49. mi. seminocturnam verò 4. horarum, 11. mi. vtrisque igitur quantitatibus duplatis, semidiurna facit 15. horas, 38. minu. quæ est quantitas diurna: seminocturna autē quantitas facit 8. horas, 22. mi. quæ est quantitas nocturna. Quod si altera duarum quantitatum diurna aut nocturna fuerit nota, altera ex 24. horis detracta, reliqua nota erit: nam ambæ simul iunctæ faciunt 24. horas, vt sit quantitas diurna 15. horarum, 38. mi. demo ex 24. horis, remanet quantitas nocturna, scilicet 8. horæ, 22. mi. Si illa ipsa quantitas nocturna fuerit nota, & quantitas diurna ignota, subtraho eam ex 24. horis, relinquitur quantitas diurna, scilicet 15. ho. 38. mi.

PROPOSITIO XIX.

Qua hora Sol oriatur vel occidat qualibet die inuestigare.

QVæratur die proposito quantitas semidiurna & seminocturna, quantitas itaque semidiurna semper tempus occasus Solis, ita seminocturna semper tempus ortus Solis ostendit. Vt exempli gratia, die vltima Iunij annno 1547. quantitas semidiurna est 7. horarum, 49. mi. ergo Sol occidit hora 7. mi. 49. post meridiem: quantitas verò seminocturna est 4. hor. 11. mi.

ergo

ergo Sol oritur hora 4. mi. 11. ante meridiem. Si omnimodam præcisionem temporis ortus & occasus habere desideras, quere quantum Sol moueatur motu proprio in tempore semidiurno, scilicet in 7. horis, 49. mi. & inuenies de motu Solis ferè 19. min. quæ adde ad motum in meridie scriptum, & erit verus locus Solis pro tempore semidiurno inquirendo, & erit tempus seminocturnum præcisum 7. horarũ, 48. mi. 41. sec. Pro tempore verò seminocturno, subtrahe 19. mi. à verò motu Solis in meridie, & erit verus Solis locus pro ortu, cum quo quære tempus semidiurnum, & inuenies 7. horas, 49. mi. quod à 12. horis ablatum, remanet tempus seminocturnum præcisum 4. horarum, 11. mi. tempus verum ortus Solis pro die proposita.

PROPOSITIO XX.

Data quantitate diurna aut nocturna verum locum Solis, & per consequens diem mensis, cui talis quantitas respondeat, indagare.

PRo hac propositione intelligenda sciendum est illud commune principium Sphæræ, quòd gradus Zodiaci æqualiter distantes à duobus punctis Solstitiorum, Cancri videlicet & Capricorni, in his fit æqualitas diei ac noctis, ita quoq; dies aut noctes æqualiter distantes à die, qua fit solstitium, sunt æquales inter se, per consequens etiam quantitas diurna aut nocturna, vt 25. gr. ♊ ante punctum Solstitij, & 5. gr. ♑ post punctum Solstitiale, quia æqualiter distant à puncto Solstitiali, scilicet à principio Cancri, in his gradibus Sole existente accidit æqualitas diei & noctis, ob id his gradibus eadem quantitas diurna ac nocturna in tabula quantitatis dierum respondet.

Inprimis igitur, cùm proponitur tibi quantitas semidiurna, considera an sit maior ♂. horis, vel minor, si fuerit maior, erit Sol in signo Boreali: si minor, in signo Australi, deinde considera tempus anni, an sit vernale aut æstiuale: in his enim Sol est in signis Borealibus. Quere itaque sub tua eleuatione poli, quantitatem semidiurnam propositam, si tempus fuerit vernale, accipe signum Boreale in capite tabulæ positum, gradum autem in latere sinistro è regione quantitatis semidiurnæ propositæ: si verò fuerit tempus æstiuale, tunc accipe signum Boreale in pede tabulæ

tabulæ,& gradum in latere dextro,& habebis signum & gradum Solis,quod respondet quantitati semidiurnæ propositæ. Exemplum. Sit quantitas semidiurna 7. horarum,10. mi. in eleuatione poli 48 gr. volo scire,in quo signo & gradu Sol sit, quia tempus semidiurnum est plus 6. horis,erit Sol in signo Boreali,quæro itaque sub eleuatione polari 48. gr. 7. horas,10. mi. si est tempus vernale,est Sol in signo ♉ & 11. gr. si verò est tempus æstiuale,tunc erit in signo ♌ & 19 eius gradu.

Si autem proposita quantitas semidiurna esset minor 6. horis, scito Solem esse in signis Australibus, tunc subtrahe eam ex 12. horis, & residuum quære sub tua eleuatione polari, & accipe signum Australe in capite tabulæ,si tempus anni fuerit autumnale, & gr. in latere sinistro è regione numeri tui in area tabulæ: si verò tempus anni fuerit hyemale, accipe signum Australe in pede tabulæ, & grad. in latere dextro, & ita habebis signum & gradum Solis tuæ quantitati diurnæ respondentem. Exemplum. Sit quantitas semidiurna 4. ho. 50. mi. volo scire, in quo signo & gradu sit Sol, quia quantitas semidiurna est minor 6. horis, scio Solem esse in signo Australi, subtraho igitur eam quantitatem ex 12. remanent 7. horæ,10. mi. quæ quæro sub eleuatione poli 48. gr. & è regione eius numeri in area tabulæ superius accipio signum Australe,scilicet ♏, & grad. in latere sinistro,si est tempus autumnale: aut in pede tabulæ est accipiendum signum, scilicet ♒,& gr. in latere dextro,si tempus est hyemale,& habebis signum & gr. Solis,cui talis quantitas semidiurna respondet. Diem autem mensis cognosces ex gradu Solis per Calendarium aut Ephemerides aut Astrolabium.

Eodem modo procedendum est, si tibi proponitur quantitas seminocturna, & per talem scire desideras locum Solis in Zodiaco, etiam inprimis considerando, an talis sit maior 6. horis vel minor: si enim fuerit maior 6. horis,scito Solem esse in Australi signo: si minor,in Boreali. Si igitur maior fuerit 6. horis,quære eandem sub tua poli eleuatione, & accipe signum Australe in capite tabulæ,gr. aut è regione quantitatis seminocturnæ inuentæ in latere sinistro, si tempus anni fuerit autumnale: si verò fuerit hyemale,accipe signum in pede tabulæ,& grad. è regione in latere dextro tabulæ,& habebis signum & gradum Solis propositæ quantitati seminocturnæ respondentem. Exemplum. Sit quantitas seminocturna 7. hor. 10. mi. quia maior est 6. horis, erit Sol in signo Australi, quære itaque illam sub tua eleuatione poli, si tempus est autumnale, accipe signum Australe in capite tabulæ, gr. autem è regione quantitati seminocturnæ in

latere sinistro, scilicet 11. gr. eiusdem signi: si verò tempus anni est hyemale, tunc accipe signum Australe in pede tabulæ, scilicet Aquarium, & grad. in latere dextro, 19. videlicet, & habebis verum locum Solis.

Si verò quantitas seminocturna minor fuerit 6. horis, scito Solem esse in signis Borealibus, eam igitur ex 12. horis subtrahe, & residuum quære in area tabulæ sub eleuatione tua poli, si tempus anni est vernale, accipe signum Boreale in capite tabulæ, & grad. è regione quantitatis residuæ: si verò est tempus anni æstiuale, accipe signum Boreale in pede tabulæ, & gr. in latere dextro, & habebis verum locum Solis, tuæ quantitati seminocturnæ respondentem. Exemplum. Sit quantitas seminocturna 4. ho. 50. mi. volo scire, in quo signo & gradu sit Sol, quia quantitas seminocturna est minor 6. horis, scio Solem esse in signis Borealibus, subtraho eam ex 12. horis, residuum est 7. ho. 10. mi. quod quæro sub eleuatione proposita, s. 48. gra. & è regione numeri residui offertur gradus Solis, scilicet 11. gr. & in capite signum Boreale, scilicet Taurus, si est tempus vernale: si verò æstiuale, erit 19. grad. Leonis, signum in pede tabulæ & gradus in latere dextro repertus.

PROPOSITIO XXI.

Dato tempore ortus vel occasus Solis, verum Solis locum scisciari, & per consequens diem mensis.

NOtum est ex præcedentibus, tempus ortus Solis ostendere tempus seminocturnum, tempus verò occasus Solis, tempus semidiurnum: per præcedentem igitur si nota fuerit vel quantitas seminocturna vel semidiurna, poteris inuenire signum & gradum Solis, & non opus est longiori declaratione.

PROPOSITIO XXII.

Cognita quantitate semidiurna vel seminocturna, cum signo & gradu Solis eleuationem poli, in qua talis contingat, reperire.

Con-

COnsidera inprimis, an quantitas semidiurna aut seminocturna sit plus vel minus 6. horis: si plus 6. horis, quære inprimis signum Solis in capite vel pede tabulæ, gradum autem Solis in latere sinistro vel dextro, prout ratio tabulæ expostulat, & è regione gradus Solis quære per singulas poli eleuationes, donec inueneris tuam quantitatem propositam vel semidiurnam, vel seminocturnam, vel proximè minorem, & in ea columnula suprà in capite offertur eleuatio poli, in qua fit talis quantitas semidiurna vel seminocturna. Exemplum. Sit quantitas semidiurna 7. hor. 10. mi. & locus Solis 11. grad. ♉, volo scire, in qua eleuatione poli talis quantitas, Sole existente in tali loco, accidat, quæro signum Solis & gradum eiusdem, scilicet 11. gra. Tauri, & è regione 11. gr. per singulas columnulas eleuationum polarium quæro propositam quantitatem semidiurnam, & inuenio præcisè eandem quantitatem sub eleuatione poli 48. gr. Dico igitur illam quantitatem semidiurnam accidere in eleuatione poli 48. gr. Sole existente in 11. Tauri. Si verò quantitas seminocturna & semidiurna essent minores 6. horis, talis quantitas inprimis est subtrahenda ex 12. & residuum est quærendum è regione loci Solis, vt iam dictum est.

Quod si non præcisè reperiatur, accipiendus est proximus minor numerus, & eius eleuatio poli extra notanda, deinde accipienda est pars proportionalis, ponendo differentiam proximè minoris & maioris numerorum in area tabulæ inuentorum pro primo numero, pro secundo differentiam numeri minoris in tabula reperti & numeri tui propositi, pro tertio 60. & ita procedendo per regulam Detri, quotiens ostendit minuta adhærentia gradui eleuationis poli prius extra notato.

PROPOSITIO XXIII.

Cognita longissima vel breuissima die in aliqua regione aut loco, quanta illic sit poli eleuatio, indagare.

SI cognita tibi fuerit in aliqua regione dies longissima, eam dimidiato, & habebis tempus semidiurnum in ea regione, deinde intra in tabulam quantitatis dierũ cum principio ♋, & è regione per singulas columnulas quære tempus semidiurnum longissimæ diei, & in qua columnula illud inueneris, suprà in capite tabulæ offertur eleuatio poli prædictæ regionis. Exemplum. Sit dies longissima in aliqua regione aut loco 15. horarũ,

52. mi. volo scire, quanta sit illic poli eleuatio, dimidio tempus longissimæ diei, & est 7. horarum, 56. mi. quod est tempus semidiurnum longissimæ diei, intro itaque cum principio Cancri in tabulam, & è regione principij Cancri, quæro per singulas columnulas, & inuenio præcisè 7. horas & 56. minu. illic in capite offertur numerus 48. qui ostendit eleuationem poli prædictæ regionis.

Si verò non præcisè inueneris, accipe numerum proximo minorem temporis semidiurni propositi, & numerus suprà in capite extrà notetur, deinde, vt præcedens Canon docet, quære partem proportionalem, & habebis minuta adhærentia eleuationi poli extrà notatæ. Exemplum. Si longissima dies esset 15. ho. 56. mi. accipio eius medietatem, quæ est 7. ho. 58. mi. quia non præcisè reperio, accipio proximo minorem numerum, scilicet 7. ho. 56. mi. & numerus in capite tabulæ, scilicet 48. extra notetur, & iuxta regulam præcedentis proposit. inuenio 30. mi. in quotiente adhærentia integro gradui, 48. videlicet. Dico igitur propositam longissimā diem fieri in eleuatione poli 48. gr. 30. m.

Si verò breuissima dies proponeretur, ea est demenda ex 24. horis, relinquitur longissima dies, cuius medietas quærenda est cum principio Cancri, vt prius, & habebitur propositum. Exemplum. Sit breuissima dies 8. horarum, 8. minu. velim scire eleuationem poli, in qua eleuatione talis breuissima dies fiat, eam subtraho ex 24. & relinquuntur 15. horę, 52. mi. medietas est 7. ho. 56. mi. tanquàm quantitas semidiurna, eandem quęro cum principio Cancri, vt prius dictum est. & habebitur eleuatio poli.

PROPOSITIO XXIIII.

Differentiam temporis inter diem Aequinoctialem & diem artificialem inæqualem elicere.

Dies Æquinoctialis semper est 12. horarum, vt fit illis, qui habitant sub Æquinoctiali, & alijs extra Æquinoctialem habitantibus, cùm Sol est in principio Arietis & Libræ, aliàs extra duo illa puncta sole existente, & in sphæra obliqua habitantibus semper dies artificiales excedunt diem Æquinoctialem, aut deficiunt ab eo. i. sunt minores eo. Quantum autem differant in tempore, tali modo deprehendes: Cùm dies artificialis excedit 12. horas, subtrahe 12. ex eo, & habes differentiam, quantum

dies

dies artificialis excedit Æquinoctialem: si verò dies artificialis fuerit minor 12. horis, quantitatem diei artificialis subtrahe ex 12. & habebis intentum. Exemplum. Sit dies artificialis in eleuatione poli 48. gr. 15. ho. 52. mi. volo scire differentiam temporis inter diem Æquinoctialem & artificialem inæqualem propositum, subtraho diem Æquinoctialem, scilicet 12. ex artificiali inæquali, scilicet 15. horis, 52. mi. residuum est 3. hor. 52. minu. tantum superat dies artificialis inæqualis diem Æquinoctialem. Si autem dies artificialis inęqualis esset 8. hor. 8. mi. vt fit in solstitio hyemali, tunc superatur ab æquali Æquinoctiali in 3. horis, 52. mi. & dicitur differentia ascensionalis in tempore.

Si verò habes tempus semidiurnum diei artificialis inæqualis, quia tempus semidiurnum diei Æquinoctialis semper est 6. horarum, si fuerit tempus semidiurnum maius 6. horis, subtrahe 6. horas ex tempore semidiurno, vel econtrà, si tempus semidiurnum diei artificialis minus fuerit 6. horis, & residuum ostendit dimidiam differentiam diei Æquinoctialis & artificialis inæqualis, quæ est vera differentia ascensionalis in tempore, quæ si duplata fuerit, habebitur tota differentia ascensionalis in tempore. Vt, sit tempus semidiurnum 7. hor. 56. mi. diei artificialis inæqualis, quia maior est 6. horis, subtraho minus à maiori, erit differentia 1. ho. 56. mi. quæ dicitur dimidia differentia diei Æquinoctialis & artificialis inæqualis in tempore, quam si duplicauero, erunt 3. horæ, 52. mi. tota differentia in tempore.

PROPOSITIO XXV.

Differentiam ascensionalem gradus Solis reperire.

QVere per pręcedentē, differentiā temporis inter diē Æquinoctialem & artificialem inæqualem, quam resolue in gradus, eius medietas ostendit differentiam ascensionalem, quanta videlicet sit differentia inter ascensionem rectam & obliquam gradus ipsius Solis. Exemplū. Sit differentia temporis inter diem Æquinoctialem & artificialem inæqualem 3. hor. 56. mi. volo scire, quanta sit differentia ascensionalis loci Solis, resoluo tempus in gr. multiplicando 3. ho. per 15. faciunt 45. gr. & 56. mi. temporis diuido per 4. & quotiens est 14. grad. addo ad priores gra. erūt 59. gr. huius medietas est 29. gr. 30. m. differētia ascensionalis loci Solis, per tot enim grad. differunt ascensio recta & obliqua inter se, quòd altera maior sit reliqua,

PROPOSITIO XXVI.

Arcum ſemidiurnum aut ſeminocturnũ Solis, & per conſequens etiam totũ arcum diurnum ac nocturnũ quacunq; die numerare.

QVære per propoſitionem 17. huius, tempus ſemidiurnũ ac ſeminocturnum ad diem tuum propoſitũ, & tale tempus in gradus ac mi. conuerte, pro qualibet hora 15. gr. computando, pro quibuſlibet 4. mi. horæ grad. vnum, pro quolibet minuto horæ 15. mi. gradus, pro quolibet ſec. horæ 15. ſec. vnius grad, & habebis arcũ ſemidiurnum ac ſeminocturnũ. Eſt aũt arcus ſemidiurnus Solis arcus Æquinoctialis, qui cooritur cum Sole, donec Sol veniat ad circulum meridianũ, ita etiam ſeminocturnus arcus Æquinoctialis, qui occidit cum Sole, donec Sol venerit ad circulum meridianũ ſub terra. Totus aũt arcus diurnus cognitus erit, ſi ſemidiurnus duplatur, ita etiam de toto nocturno arcu eſt intelligendũ, ſeminocturnus enim etiam duplandus erit. Exemplum. Sit tempus ſemidiurnũ Solis 7. ho. 56. mi. volo ſcire, quantus ſit arcus Solis ſemidiurnus, multiplico 7. ho. per 15. prouenint 105. gr. deinde diuido 56. mi. per 4. cùm 4. mi. temporis vnum gr. Æquinoctialis faciant, quotiens eſt 14. gr. addo igitur ad priores. ſ. 105. erunt 119. gr. arcus Æquinoctialis, qui coortus eſt cum Sole, vſq; Sol peruenit ad circulũ meridianum, vbi facit Sol mediam diem, & ob id dicitur arcus ſemidiurnus, ſi is dupletur, totus arcus diurnus emerget, arcus videlicet Æquinoctialis, qui coortus eſt cum Sole, vſq; dum Sol circulũ occidentalem attigerit, & ſunt 238. gr. Sit præterea tẽpus ſeminocturnũ 4. ho. 4. mi volo ſcire, quantus ſit arcus Solis ſeminocturnus, multiplico 4. ho. per 15. faciunt 60. gr. deinde diuido 4. mi. ho. per 4. facit vnum gr. & erunt 61. grad. arcus ſeminocturnus Solis, tot enim gr. Æquinoctialis occidunt cũ Sole, donec venit ad circulũ meridianũ ſub terra, vbi media nox fit, qui arcus ſi dupletur, totus arcus nocturnus emergit 122. gr. tot enim gr. occidunt cum Sole, donec iterũ redierit ad ortũ. Nota in eleuatione poli 48. gr. arcus diurnus Sole exiſtente in principio ♋, eſt præciſè 237. gr. 46. mi. nocturnus verò 122. gr. 14. mi. & talis arcus in tempore facit 15. ho. 51. mi. 15. ſec. pro illis 15. ſec. acceptũ eſt adhuc 1. minutũ, vt fierẽt 52. & ſic tempus ſemidiurnũ fit 7. ho. 56. mi. & ita arcus diurnus fit 238. gr. præciſè, qui tamẽ in eleuatione poli 48 g. eſt 237. gr. 46. min. deſunt 14. mi. minus quàm 238. gra.

Tabula.

Tabula quantitatis dierum.

Semidiurna. Aries. | Seminocturna. Libra.

po	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	lus
G.	h. m	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	G.
0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	6 0	30
1	6 1	6 1	6 2	6 2	6 2	6 2	6 2	6 2	6 2	6 2	6 2	29
2	6 3	6 3	6 4	6 3	6 3	6 3	6 4	6 4	6 4	6 4	6 4	28
3	6 4	6 4	6 5	6 5	6 5	6 5	6 6	6 6	6 6	6 6	6 6	27
4	6 6	6 6	6 6	6 7	6 7	6 7	6 8	6 8	6 8	6 8	6 8	26
5	6 8	6 8	6 8	6 8	6 8	6 8	6 9	6 9	6 9	6 10	6 10	25
6	6 9	6 9	6 9	6 10	5 10	6 10	6 11	6 11	6 12	6 12	6 12	24
7	6 10	6 10	6 11	6 11	6 12	6 12	6 13	6 13	6 13	6 14	6 14	23
8	6 12	6 12	6 13	6 13	6 13	6 13	6 14	6 14	6 15	6 16	6 16	22
9	6 13	6 13	6 14	6 14	6 15	6 15	6 16	6 16	6 17	6 18	6 18	21
10	6 14	6 15	6 15	6 16	6 17	6 17	6 18	6 18	6 19	6 20	6 20	20
11	6 16	6 17	6 17	6 17	6 18	6 18	6 19	6 20	6 21	6 22	6 22	19
12	6 17	6 18	6 18	6 19	6 20	6 20	6 21	6 22	6 23	6 24	6 24	18
13	6 18	6 19	6 20	6 21	6 22	6 22	6 23	6 24	6 25	6 26	6 27	17
14	6 20	6 21	6 22	6 22	6 23	6 24	6 24	6 25	6 26	6 27	6 29	16
15	6 21	6 22	6 23	6 24	6 25	6 26	6 26	6 27	6 28	6 29	6 31	15
16	6 23	6 24	6 24	6 26	6 27	6 28	6 28	6 29	6 30	6 31	6 33	14
17	6 25	6 26	6 26	6 27	6 28	6 29	6 20	6 31	6 32	6 33	6 35	13
18	6 26	6 27	6 27	6 29	6 30	6 31	6 32	6 33	6 34	6 35	6 37	12
19	6 27	6 28	6 28	6 30	6 31	6 33	6 34	6 35	6 36	6 37	6 39	11
20	6 29	6 30	6 30	6 32	6 33	6 34	6 35	6 36	6 38	6 39	6 41	10
21	6 30	6 31	6 32	6 33	6 34	6 36	6 37	6 38	6 40	6 41	6 43	9
22	6 31	6 32	6 33	6 35	6 36	6 38	6 39	6 40	6 42	6 43	6 45	8
23	6 23	6 34	6 35	6 36	6 37	6 39	6 40	6 42	6 42	6 45	6 47	7
24	6 34	6 35	6 36	6 38	6 39	6 41	6 42	6 44	6 45	6 47	6 49	6
25	6 35	6 37	6 28	6 40	6 41	6 43	6 44	6 46	6 47	6 49	6 51	5
26	6 37	6 39	6 39	6 41	6 42	6 44	6 45	6 47	6 49	6 51	6 53	4
27	6 38	6 40	6 41	6 43	6 44	6 46	6 47	6 49	6 51	6 53	6 55	3
28	6 39	6 41	6 42	6 44	6 46	6 47	6 49	6 51	6 53	6 55	6 56	2
29	6 41	6 43	6 44	6 46	6 47	6 49	6 50	6 52	6 54	6 56	6 58	1
30	6 42	6 44	6 45	6 47	6 49	6 50	6 52	6 54	6 56	6 58	7 0	0

Virgo. Semidiurna. | Pisces. Seminocturna.

Tabula

Tabula quantitatis dierum.

Semidiurna. Taurus. — Seminocturna. Scorpius.

po	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	lu
G.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	G.
0	6 42	6 44	6 45	6 47	6 49	6 50	6 52	6 54	6 56	6 58	7 0	30
1	6 43	6 45	6 47	6 48	6 50	6 52	6 54	6 56	6 58	7 0	7 2	29
2	6 45	6 47	6 48	6 50	6 52	6 53	6 55	6 57	6 59	7 2	7 4	28
3	6 46	6 48	6 50	6 51	6 53	6 55	6 57	6 59	7 1	7 4	7 6	27
4	6 47	6 49	6 51	6 53	6 54	6 57	6 59	7 1	7 3	7 6	7 8	26
5	6 49	6 51	6 53	6 54	6 56	6 58	7 0	7 2	7 5	7 7	7 10	25
6	6 50	6 52	6 54	6 56	6 57	7 0	7 2	7 4	7 7	7 9	7 12	24
7	6 51	6 53	6 55	6 57	6 59	7 2	7 4	7 6	7 9	7 11	7 14	23
8	6 53	6 55	6 57	6 59	7 0	7 3	7 5	7 7	7 10	7 13	7 16	22
9	6 54	6 56	6 58	7 0	7 2	7 5	7 7	7 9	7 12	7 15	7 17	21
10	6 55	6 57	6 59	7 1	7 4	7 6	7 9	7 11	7 14	7 17	7 19	20
11	6 57	6 59	7 1	7 3	7 5	7 8	7 10	7 13	7 15	7 18	7 21	19
12	6 58	7 0	7 2	7 4	7 7	7 9	7 12	7 15	7 17	7 20	7 23	18
13	6 59	7 1	7 3	7 5	7 8	7 10	7 14	7 16	7 19	7 22	7 25	17
14	7 0	7 3	7 5	7 7	7 10	7 12	7 15	7 18	7 20	7 23	7 27	16
15	7 1	7 4	7 6	7 8	7 11	7 13	7 17	7 19	7 22	7 25	7 28	15
16	7 2	7 5	7 7	7 9	7 12	7 15	7 18	7 21	7 24	7 27	7 30	14
17	7 4	7 6	7 9	7 11	7 14	7 16	7 20	7 23	7 25	7 28	7 32	13
18	7 5	7 7	7 10	7 12	7 15	7 18	7 21	7 24	7 27	7 30	7 34	12
19	7 6	7 8	7 11	7 13	7 16	7 19	7 22	7 25	7 28	7 32	7 35	11
20	7 7	7 10	7 12	7 15	7 18	7 21	7 24	7 27	7 30	7 33	7 37	10
21	7 8	7 11	7 13	7 16	7 19	7 22	7 25	7 28	7 31	7 35	7 39	9
22	7 9	7 12	7 14	7 17	7 20	7 23	7 26	7 29	7 33	7 36	7 40	8
23	7 10	7 13	7 16	7 19	7 22	7 25	7 28	7 31	7 24	7 38	7 42	7
24	7 11	7 14	7 17	7 20	7 23	7 26	7 29	7 32	7 36	7 39	7 43	6
25	7 12	7 15	7 18	7 21	7 24	7 27	7 30	7 23	7 37	7 41	7 45	5
26	7 14	7 16	7 19	7 22	7 25	7 28	7 32	7 35	7 39	7 42	7 47	4
27	7 15	7 17	7 20	7 23	7 26	7 29	7 33	7 36	7 40	7 44	7 48	3
28	7 16	7 18	7 21	7 24	7 27	7 30	7 34	7 37	7 41	7 45	7 50	2
29	7 16	7 19	7 22	7 25	7 29	7 22	7 35	7 39	7 43	7 47	7 51	1
30	7 17	7 20	7 23	7 26	7 30	7 33	7 36	7 40	7 44	7 48	7 52	0

Leo. Semidiurna. — Aquarius. Seminocturna.

Tabula

Tabula quantitatis dierum.

Semidiurna. Gemini. — Seminocturna. Sagittarius.

po	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	lus
G	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	h. m.	G.
0	7 17	7 20	7 23	7 26	7 30	7 33	7 36	7 40	7 44	7 48	7 52	30
1	7 18	7 21	7 24	7 27	7 31	7 34	7 37	7 41	7 45	7 49	7 54	29
2	7 19	7 22	7 25	7 28	7 32	7 35	7 39	7 43	7 47	7 51	7 55	28
3	7 20	7 23	7 26	7 29	7 33	7 36	7 40	7 44	7 48	7 52	7 56	27
4	7 21	7 24	7 27	7 30	7 34	7 37	7 41	7 45	7 49	7 53	7 58	26
5	7 22	7 25	7 28	7 31	7 35	7 38	7 42	7 46	7 50	7 55	7 59	25
6	7 23	7 26	7 29	7 32	7 35	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	24
7	7 24	7 27	7 30	7 33	7 37	7 40	7 44	7 48	7 52	7 57	8 1	23
8	7 24	7 27	7 30	7 34	7 37	7 41	7 45	7 49	7 53	7 58	8 3	22
9	7 25	7 28	7 31	7 35	7 38	7 42	7 46	7 50	7 54	7 59	8 4	21
10	7 26	7 29	7 32	7 36	7 39	7 43	7 47	7 51	7 55	8 0	8 5	20
11	7 26	7 29	7 32	7 36	7 39	7 43	7 47	7 52	7 56	8 1	8 6	19
12	7 27	7 30	7 33	7 37	7 40	7 44	7 48	7 53	7 57	8 2	8 7	18
13	7 27	7 31	7 34	7 38	7 41	7 45	7 49	7 54	7 58	8 3	8 7	17
14	7 28	7 31	7 34	7 38	7 41	7 45	7 49	7 54	7 58	8 3	8 8	16
15	7 28	7 32	7 35	7 39	7 42	7 46	7 50	7 55	7 59	8 4	8 9	15
16	7 29	7 32	7 36	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	8 5	8 10	14
17	7 29	7 32	7 36	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	8 5	8 11	13
18	7 30	7 33	7 37	7 40	7 44	7 48	7 52	7 57	8 1	8 6	8 11	12
19	7 30	7 33	7 37	7 41	7 44	7 48	7 53	7 57	8 2	8 7	8 12	11
20	7 30	7 33	7 37	7 41	7 44	7 48	7 53	7 58	8 2	8 7	8 13	10
21	7 31	7 34	7 38	7 42	7 45	7 49	7 54	7 58	8 3	8 8	8 13	9
22	7 31	7 34	7 38	7 42	7 45	7 49	7 54	7 58	8 3	8 8	8 13	8
22	7 31	7 34	7 38	7 42	7 46	7 49	7 54	7 59	8 4	8 8	8 14	7
24	7 32	7 35	7 39	7 42	7 46	7 50	7 55	7 59	8 4	8 9	8 14	6
25	7 32	7 35	7 39	7 42	7 46	7 50	7 55	7 59	8 4	8 9	8 14	5
26	7 32	7 35	7 39	7 42	7 46	7 50	7 55	8 0	8 4	8 9	8 15	4
27	7 32	7 35	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	8 4	8 10	8 15	3
28	7 32	7 35	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	8 4	8 10	8 15	2
29	7 32	7 36	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	8 5	8 10	8 15	1
30	7 32	7 36	7 39	7 43	7 47	7 51	7 56	8 0	8 5	8 10	8 15	0

Cancer. Semidiurna. — Capricornus. Seminocturna.

PROPOSITIO XXVII.

Horas Astronomicas à meridie cœptas in horas ab ortu vel occasu, vel à media nocte sumentes initium, vel econtrà, conuertere.

ASTronomi ob faciliorem rerum Astronomicarum computationem, à meridie in meridiem diei sequentis terminant diem naturalem, 24. videlicet horarũ, sine intermissione numeri. Alij à media nocte in mediam noctem, vt Romani: alij ab ortu, vt Norimbergenses: alij ab occasu, vt Bohemi, & aliquæ ciuitates Italiæ: alij non integro horologio vtuntur, sed dimidio, à meridie ad mediam noctem 12. numerantes, & à media nocte iterum incipientes, & in meridie iterum finientes, vt fit communiter in Germania.

PROPOSITIO XXVIII.

Horam Astronomicam propositam in horas à media nocte initium sumentes, & econtrà, reducere.

ADde horæ Astronomicæ 12. & habebis propositum, si numerus 24. excreuerit, deme 24. residuum horam à media nocte pandet. Hęc autem propositio intelligenda est de horis secundum integrum horologium sine intermissione in 24. extensum. Exemplum. Proponatur hora prima Astronomica, volo scire, quota sit hora à media nocte computata, addo igitur horæ Astronomicæ 12. erunt 13. ergo cùm est prima hora Astronomica, erit 13. hora à media nocte computata, 6. hora Astronomica erit 18. à media nocte, 12. Astronomica erit 24. à media nocte, 13. Astronomica, si addidero 12. crescunt 25. horæ, demo 24. residuum est 1. & est prima à media nocte computando, 18. Astronomica est sexta à media nocte, & sic de alijs horis.

Conuersa huius est: Horam à media nocte cœptam in horam Astronomicam conuertere. Eodem modo reducuntur per additionem duodenarij numeri: vt, sit prima à media nocte, addo illi 12. erunt 13. Astronomicæ à meridie exorsæ: si per additionem

24. excreuerint, demantur 24. residuũ ostendit horas Astronomicas: si est 13. à media nocte, per additionem 12. erunt 25. deme 24. residuum est 1. prima videlicet hora Astronomica.

PROPOSITIO XXIX.

Horam Astronomicam in horam ab ortu exordium sumentem, permutare.

SVbtrahe ex hora Astronomica tempus seminocturnum, 24. horis additis, si subtractio fieri non potest, & residuo adde 12. horas, productum ostendit horam ab ortu computatam, si 24. excrescit, demantur 24. residuum pro horis ab ortu teneto. Vt, proponatur hora prima pomeridiana Astronomica, & sit tempus seminocturnum 4. horarum, subtraho 4. ex 1. quia non possum, addo 24. erunt 25. ab illo aggregato subtraho tempus seminocturnum, & residuum est 21. hor. cui addo 12. horas, erunt 33. horæ, ab his subtraho 24. remanent 9. horæ ab ortu computatæ, & sic primæ horæ Astronomicæ respondent 9. horæ ab ortu computatæ: pro 6. pomeridiana, ab ortu 14. respondet: pro 13. pomeridiana, 21. ab ortu.

Conuersa huius: Horam ab ortu inceptam, in horam Astronomicam mutare. Adde tempus seminocturnum ad horam ab ortu, si excedit 24. demantur 24. & à producto vel residuo subtrahe 12. addendo 24. horas, si subtractio fieri nequit, residuum horam Astronomicam manifestabit. Vt, sit ab ortu computata 9. hora, volo scire, quota sit hora Astronomica, tempus seminocturnum sit 4. horarum, addo 4. ad 9. erunt 13. demo igitur 12. ex producto, manet 1. Erit ergo hora 9. ab ortu, prima hora Astronomica: pro 14. ab ortu respondet sexta Astronomica: pro 21. ab ortu 13. Astronomica.

PROPOSITIO XXX.

Horam Astronomicam in horam ab occasu computatam vertere.

SVbtrahe tempus semidiurnum ab horis Astronomicis, adiunctis 24. si subtractio fieri nequit, residuum ostendit horam ab occasu Solis computatam. Exemplum. Sit hora data Astrono-

mica prima, volo ſcire, quota ſit hora ab occaſu Solis immediatè præcedentis, & ſit tempus ſemidiurnum 8. horæ, ſubtraho 8. horas ab hora prima Aſtronomica, cùm autem fieri non poteſt, addo horas 24. erunt horæ 25. à quibus ſubtraho tempus ſemidiurnum, ſ. 8. horas, manent horæ 17. Dico igitur hora prima pomeridiana euaſiſſe horas 17. ab occaſu Solis immediatè præcedentis, & ſic hora 10. Aſtronomica facit ſecundam ab occaſu, hora 13. Aſtronomica quintam horam ab occaſu, hora 20. duodecimam ab occaſu.

Conuerſa huius eſt: Horam ab occaſu datam in Aſtronomicam redigere. Adde tempus ſemidiurnum ad horam propoſitam ab occaſu datam, & productum oſtendit horam Aſtronomicam: ſi 24. excreuerit, deme 24. & reſiduum horam Aſtronomicam oſtendit. Vt, ſit hora ab occaſu 17. volo ſcire quota ſit hora Aſtronomica, addo ſemidiurnum tempus, ſcilicet 8. horas, erunt 25. horæ, quia excedit numerum 24. demo 24. reſiduum manifeſtat horam primam Aſtronomicam.

PROPOSITIO XXXI.

Horam ab ortu Solis computatam in horam ab occaſu reducere.

ADde propoſitæ horæ ab ortu quantitatem noctis, & aggregatum oſtendit horam ab occaſu. Vt, ſit hora ab ortu data prima, & ſit quantitas noctis 8. horarũ, addo igitur 8. ad 1. erunt 9. erit ergo prima hora poſt Solis ortum 9. ab occaſu computata, 12. ab ortu erit 20. ab occaſu, 18. ab ortu erit 2. ab occaſu, quantitate noctis exiſtente 8. horarum.

PROPOSITIO XXXII.

Horam ab occaſu in horam ab ortu permutare.

HÆc eſt ferè conuerſa prioris. Adde horæ propoſitæ ab occaſu quantitatem diei, & aggregatum oſtendet horam ab ortu computatam. Vt, ſit hora prima ab occaſu Solis, volo ſcire, quota ſit ab ortu, & ſit quantitas diei 16. horarum, addo ergo 16. ad 1. erunt 17. Dico igitur horam primam ab occaſu Solis eſſe 17. ab ortu, 12. ab occaſu eſſe 4. ab ortu, 18. ab occaſu eſſe 10. ab ortu, quantitate diei exiſtente 16. horarum.

Propo-

PROPOSITIO XXXIII.

Horam à media nocte computatam in horam ab ortu conuertere.

SVbtrahe tempus seminocturnum ab hora à media nocte proposita, adiunctis 24. horis, si subtractio fieri nequit, & residuum ostendit horam ab ortu. Vt, sit prima hora à media nocte, volo scire, quota sit ab ortu, tempus seminocturnum sit 4. horarum, subtraho igitur tempus seminocturnum, s. 4. ab hora 1. quia nõ possum, addo 24. erũt 25. horæ, ab aggregato subtraho 4. manent 21. erit ergo prima hora à media nocte 21. ab ortu computando, 10. hora à media nocte est sexta ab ortu, 20. à media nocte est 16. ab ortu.

Conuersa huius: Horam ab ortu datam in horam à media nocte vertere. Adde tempus seminocturnũ ad horam datam ab ortu, & habebis intentũ, si 24. excreuerit, deme 24. residuum pro hora à media nocte teneto. Vt, sit hora 21. ab ortu, volo scire, quota sit hora à media nocte, addo 4. ad 21. erunt 25. demo 24. remanet 1. erit ergo 21. ab ortu computata prima hora à media nocte, sexta hora ab ortu erit 10. à media nocte, 16. ab ortu 20. à media nocte.

PROPOSITIO XXXIIII.

Horam à media nocte computatam in horam ab occasu mutare.

SVbtrahe tempus semidiurnum ab hora proposita à media nocte, residuo adde 12. & habes horam ab occasu, si subtractio fieri nequit, adde 24. horas, & si ex additione excreuerit plũs quàm 24. deme 24. residuum pro hora ab occasu teneto. Exemplum. Sit hora prima data à media nocte, volo scire, quota sit ab occasu, subtraho tempus semidiurnũ, quod sit exempli gratia 8. horarũ, quia subtractio fieri nequit, addo 24. horas, erunt 25. ab illo aggregato subtraho tẽpus semidiurnũ; remanent 17. horæ, quibus addo 12. erũt 29. demo 24. remanent 5. horæ ab occasu computatæ, quæ primæ horæ à media nocte respondent, & sic decimæ horæ à media nocte respondet 14. ab occasu, decimæ octauæ à media nocte respondet 22. ab occasu.

PROPOSITIO XXXV.

Horam ab occasu numeratam in horam à media nocte reducere.

HÆc est conuersa præcedentis. Adde itaque tempus semidiurnum ad horam ab occasu propositam, à producto subtrahe 12. residuum ostendit horam à media nocte, si ex additione plus 24. aggregaueris, deme 24. à residuo subtrahe 12. si subtractio 12. horarum fieri non potest, adde 24. & à producto subtrahe 12. residuum pro hora à media nocte teneto. Exemplum. Sit hora 5. ab occasu, volo scire, quota sit hora à media nocte, addo tempus semidiurnum, 8. videlicet horas, erunt 13. à producto subtraho 12. remanet 1. Ergo quinta ab occasu est prima à media nocte, & sic 14. horæ ab occasu respondet 10. hora à media nocte, horæ 22. ab occasu respondet 18. à media nocte.

PROPOSITIO XXXVI.

Horam Astronomicam in horam dimidij horologij conuertere.

COmpertum est, horas Astronomicas cum horologio dimidio concordare ad 12. horam noctis: quando igitur hora Astronomica excedit 12. tunc subtrahe 12. ab horis Astronomicis, residuum est hora dimidij horologij ante meridiem diei sequentis. Vt exempli gratia, sit hora Astronomica 18. à meridie primi diei Iunij computata, volo scire, quota sit hora secundum dimidium horologium, quia numerus horarum excedit 12. demo 12. residuum est 6. dico 18. horam Astronomicam esse sextam ante meridiem diei sequentis, scilicet 2. diei Iunij, & sic 20. Astronomica est octaua dimidij horologij ante meridiem diei sequentis, &c.

PROPOSITIO XXXVII.

Horam dimidij horologij in horam Astronomicam permutare.

ILla est conuersa antecedentis. Data igitur hora dimidij horologij ante meridiē, adde illi horæ 12. & resultabit hora Astronomica

nomica à meridie diei præcedentis computanda: horæ autem po meridianæ quia concordant cum Astronomicis vsque ad 12. horam noctis, non opus est permutatione. Vt, sit data hora 6. ante meridiem diei 2. addo illi 12. erunt 18. horæ Astronomicæ à meridie præcedentis diei computatæ, & octaua dimidij horologij antemeridiana est 20. hora Astronomica à meridie præcedentis diei, scilicet primi.

PROPOSITIO XXXVIII.

Horam à media nocte computatam in horam dimidij horologij vertere.

NOtum est, horas à media nocte computatas secundum integrum horologium concordare cum horis dimidij horologij antemeridianis vsque ad 12. horam diei: si hora à media nocte excesserit 12. subtrahe 12. & habebis horam dimidij horologij à meridie computatam. Exemplum. Sit hora à media nocte 13. volo scire, quota sit hora secundum dimidium horologium, subtraho 12. à 13. remanet 1. & quia horæ à media nocte concordant cum horis antemeridianis vsque ad 12. diei, erit hora illa post subtractionem pomeridiana prima, scilicet post meridiem, 18. hora à media nocte erit sexta pomeridiana.

PROPOSITIO XXXIX.

Horam dimidij horologij in horam à media nocte conuertere.

HÆc est conuersa prioris. Considera, an hora proposita sit ante vel post meridiē: si est ante, non opus est reductione, quia concordant: si verò pomeridiana, adde horæ dimidij horologij 12. habebis horam à media nocte. Exemplum. Sit hora 8. ante meridiem secundum dimidium horologium, volo scire, quota sit hora à media nocte, quia horæ antemeridianæ dimidij horologij concordant cum horis à media nocte, erit etiam hora 8. à media nocte: sed si est 8. pomeridiana, addo 12. & erunt 20. quæ est hora à media nocte computata.

PROPOSITIO XL.

Horam ab ortu in horam dimidij horologij reducere.

Adde

ADde horæ ab ortu propositæ tempus seminocturnum, si productum fuerit minus 12. ostendit horam dimidij horologij antemeridianam: si plus 12. deme 12. & habebis horam dimidij horologij pomeridianam. Exemplum. Sit hora secunda ab ortu, volo scire, quota sit secundum horologium dimidium, addo tempus seminocturnum, quod sit 4. horarũ, erunt 6. horæ, quia sunt pauciores 12. erit hora 6. antemeridiana secundum dimidium horologium: si autem hora ab ortu esset 10. addo tempus seminocturnum, s. 4. horas, erunt 14. quia numerus ex additione procreatus excedit 12. demo 12. residuum ostendit horam secundam pomeridianam secundum dimidium horologium.

PROPOSITIO XLI.

Horam dimidij horologij in horam ab ortu permutare.

SI hora secundum dimidium horologium fuerit antemeridiana, subtrahe tempus seminocturnum ex hora dimidij horologij, additis 24. si subtractio fieri nequit, & habebis horam ab ortu computatam, vel adde 12. si subtractio non potest fieri, à quo subtrahe tempus seminocturnum, cui adde horas 12. & aggregatum ostendit horam ab ortu. Exemplum. Sit hora 8. dimidij horologij antemeridiana, volo scire, quota sit ab ortu, subtraho tempus seminocturnum, quod sit 4. horarum, & residuum est 4. horæ ab ortu: si aũt esset 8. hora pomeridiana, subtraho tempus seminocturnũ, residuum est 4. cui addo 12. horas, erunt 16. tempus ab ortu Solis. Item si esset prima hora antemeridiana, quia tempus seminocturnum subtrahi nequit, addo 24. horas, erunt 25. ab aggregato subtraho tempus seminocturnum, scilicet 4. residuum est 21. hora ab ortu computata, vel addo horas 12. erũt 13. ab aggregato subtraho tempus seminocturnũ, residuum est 9. cui addo 12. erunt 21. horæ ab ortu: si autem prima esset pomeridiana, quia tempus seminocturnum subtrahi nequit, addo 12. erunt 13. ab aggregato subtraho tempus seminocturnum, residuum est 9. tempus ab ortu Solis.

PROPOSITIO XLII.

Horam ab occasu in horam dimidij horologij mutare.

Adde:

ADde horæ ab occasu datæ tempus semidiurnũ, productum si fuerit minus 12. horis, ostendit horam dimidij horologij pomeridianam: si plus 12. deme 12. & habebis horam dimidij horologij antemeridianam. Vt, sit hora 2. ab occasu, volo scire, quota sit secundum dimidium horologium, addo tempus semidiurnum, quod sit 8. horarum, ad horã ab occasu, erunt 10. quia est minus 12. horis, erit hora 10. dimidij horologij pomeridiana: si autem hora ab occasu 10. addo tempus semidiurnum, scilicet 8. erunt 18. horæ, & quia numerus ex additione excrescit 12. subtraho 12. residuum erit 6. horæ antemeridianæ.

PROPOSITIO XLIII.

Horam dimidij horologij in horam ab occasu reducere.

SI hora secundum dimidium horologium fuerit pomeridiana, subtrahe tempus semidiurnum, si subtractio fieri non potest, adde 24. horas, & residuum ostendit horam ab occasu: vel adde 12. si subtractio locum non habet, & residuo adde 12. & idem proueniet. Si autem hora secundum dimidium horologium est antemeridiana, & subtractio fieri nequit, adde 12. & à producto subtrahe tempus semidiurnum, residuum ostendit horam ab occasu. Exemplum. Sit hora 10. pomeridiana, subtraho tempus semidiurnum, quod sit 8. horarũ, residuum est 2. horæ ab occasu: si aũt esset hora 10. antemeridiana, subtraho tempus semidiurnũ, & remanẽt 2. horæ, cui addo 12. erunt 14. horæ ab occasu. Item sit hora prima pomeridiana, volo scire quota sit hora ab occasu, quia tempus semidiurnum subtrahere non possum, addo 24. erunt 25. & ab aggregato subtraho tempus semidiurnũ, scilicet 8. horas, remanent 17. horæ ab occasu, vel addo primæ horæ 12. erunt 13. à quo subtraho tempus semidiurnum, residuum est 5. cui addo 12. erunt 17. vt prius: si autem esset prima hora à media nocte, addo 12. erũt 13. à 13. subtraho tempus semidiurnum, scilicet 8. horas, remanet 5. tempus ab occasu Solis.

PROPOSITIO XLIIII.

An coniunctio Lunæ cum Planeta aliquo fiat de die vel de nocte, determinare.

QVære per 19. huius tertiæ partis, qua hora & minuto Sol oriatur & occidat, si tempus 6 inciderit inter tempus or-

tus & occasus Solis, id est, post Solis ortum & ante eius occasum, fit talis coniunctio de die, inter horas videlicet diurnas: si verò tale tempus ☌ non inciderit inter tempus ortus & occasus Solis, erit talis coniunctio de nocte. Exemplum. ☌☽♃ fit die 9. Iunij hora 6. post meridiem, eo tempore Sol oritur hora ferè 4. ante meridiem, & occidit hora ferè 8. post meridiem, hora autem 6. incidit inter horas diurnas, ergo talis ☌ fit de die. Aliud exemplum. ☌☽♀ fit 13. die Iulij anno 1547. hora 11. post meridiem, Sol oritur hora 7. mi. 36. & occidit hora 4. mi. 24. quia hora 11. post meridiem non incidit inter ortũ Solis & occasum, ergo non fit de die, sed nocte post Solis occasum.

PROPOSITIO XLV.

An coniunctio Lunæ cum Planeta fiat supra terram vel infra, scisciтari.

QVære, qua hora oriatur gradus, in quo Luna coniungitur cum Planeta, & qua hora occidat, id ex tabula domorum facilè deprehendi potest: si talis hora inciderit inter horas ab ortu, talis gradus vsque ad horam occasus sui erit supra terram: si verò non in eas horas inciderit, erit sub terra. Exemplum. ☌☽♃ die 9. Iunij anno 1547. fit in 13. ferè gradu ♑, & is die 9. Iunij oritur hora 11. mi. 40. post meridiem, & occidit hora 10. mi. 39. ante meridiem, tempus verò ☌☽♃ fit hora 6. post meridiem, quæ hora non comprehenditur secundum ordinem horarum inter ortum eius & occasum, ergo talis ☌☽♃ non fit supra terram, sed sub terra: 6. enim hora post meridiem est adhuc sub terra, cùm primum oriatur hora 11. post meridiem. Item 14. die eiusdem mensis fit ☌☽♀ hora 9. ante meridiem, in 19. gr. ♉, qui oritur hora 1. mi. 39. ante meridiem, & occidit hora 4. mi. 26. post meridiem. Hora autem 9. incidit inter horam ortus & occasus gr. ☌, ergo fit de die proposita coniunctio Lunæ & Veneris, & supra terram. Item 19. eiusdem mensis fit ☌☽♂, hora 4. post meridiem, in 3. gr. ♌, qui oritur hora 6. mi. 19. ante meridiem, & occidit hora 9. mi. 28. post meridiem: hora autem 4. post meridiem intercipitur inter 6. ante, & 9. post meridiem, ergo fit de die illa ☌☽♂ & supra terram. Hic aduertendum erit, quando coniunctio fit circa ortum vel occasum, & Planetæ habuerint magnam latitudinem, tunc cum alio gradu oriuntur & occidunt, quàm cum eo, in quo coniungũtur: si latitudo est Septentrionalis,

lis, citius oriuntur: si Meridionalis, tardius: gradum autem cum quo oriuntur vel occidunt, dinosces ex Tabulis directionum.

PROPOSITIO XLVI.

An coniunctio Lunæ cum Planeta, cùm fuerit supra terram, fiat ante circulum meridianum vel post, perscrutari.

NVmera horas cum minutis ab ortu gradus, in quo sit ☌, vsque ad occasum eiusdem, quem numerū dimidiato, & eam medietatem adde ad horam & minutum ortus, & habes tempus, quo talis gradus cœlum mediat: si tempus coniunctionis præcedit tale tempus cœli mediationis, fit coniunctio talis ante circulum meridianum: si verò sequitur, erit post. Verbi gratia, repetatur ☌☽☍ in præcedente propositione, numerus horarum gr. coniūctionis vsq; ad occasum sunt 15. horæ 9. mi. medietas eius est 7. horæ 34. mi. quod tempus coniunctum cum hora ortus facit 13. horas 53. mi. demptis 12. relinquitur hora 1. mi. 53. tempus mediationis cœli. Tempus autem coniunctionis sequitur tempus cœli mediationis, ergo coniunctio fit post circulum meridianum, quod est propositum.

PROPOSITIO XLVII.

Distantiam coniunctionis Lunæ cum Planeta vel stella à circulo meridiano metiri.

PEr præcedentem scis, an coniunctio præcedat circulū meridianum vel sequatur. Si præcedit, subtrahe tempus coniunctionis à tempore, quo gradus coniunctionis cœlum mediat: si verò coniunctio sequitur circulum meridianum, subtrahe tempus cœli mediationis gradus coniunctionis à tempore coniunctionis Lunæ cum Planeta, & habebis propositum.

PROPOSITIO XLVIII.

Diuersitatem aspectus Lunæ in latitudine in coniunctionibus Lunæ cum Planetis addiscere.

PEr pręcedentem quęre distantiam coniunctionis Lunæ cum Planeta vel stella, à circulo meridiano, deinde intra cum signo, in quo sit ♂, in sequentem tabulam diuersitatis aspectus in latitudine, & cum sig. argumenti ☽ suprà in fronte tabulæ, in latere verò sinistro quęre horas & minuta distantiæ coniunctionis à circulo meridiano, & quod in angulo communi offertur, erit diuersitas aspectus in latitudine, si coniunctio fuerit in principio alicuius signi, & argumentum Lunæ præcisè in signis reperiatur completis. Cùm autem coniunctio Lunæ cum Planetis non pręcisè fuerit in principio signi, nec argumentum Lunæ in signis completis præcisè, oportet accipere partem proportionalem ad 30. grad. tum ex parte signi coniunctionis, tum ex parte argumenti. At si cùm proximis propinquioribus signis ingressus fueris in tabulam, non accidet error vltra 1. minutum. Exemplum. Anno 1548. die 25. Nouembris hora 17. secundũ Ephemerides fit ♂☽♀, volo scire diuersitatem aspectus Lunæ tempore eiusdem coniunctionis, per 11. huius tertiæ partis inuenio tempus ♂ ho. 16. min. 35. per 15. huius, locum coniunctionis 28. gr. 51. mi. ♎, per 44. huius, reperio hanc coniunctionem fieri de nocte, per 45. quòd fiet supra terram, per 46. quòd fit ante circulum meridianum in parte orientali, per 47. reperio distantiam gr. coniunctionis à circulo meridiano esse 4. horarũ 20. mi. argumentum autem Lunæ æquatũ ex tabulis repertum sig. 9. gr. 9. mi. 58. sec. 33. Intro itaque in tabulam diuersitatis aspectus Lunæ in latitudine, quærendo signum coniunctionis scilicet ♎, cùm autem tabula sit facta ad principia signorum, & illa coniunctio fit prope principium Scorpij, accipio signum ♏, & quæro in latere sinistro tempus distantiæ ante meridiem, scilicet 4. horas, in capite autem tabulæ quæro signa argumenti, scilicet 9. & in angulo communi reperio 25. mi. diuersitatem aspectus ☽ in latitudine, quæ semper est in 7. climate Meridionalis.

Item maxima Lunæ diuersitas aspectus est 64. mi. Solis verò 4. mi. Tres superiores Planetæ non habent sensibilem diuersitatem, imò nullam, sed Venus & Mercurius habent, quanta autem cuiusq; sit maxima eorũ diuersitas aspectus, hactenus nemo obseruauit, quæ tamen necessaria est, si eorum visibilis coniunctio quærenda fuerit.

PROPOSITIO XLIX.

An Luna eclipsabit Planetam vel stellam fixam, cui coniungitur, explorare.

Considera

CONsidera inprimis, an coniunctio talis fiat de die vel nocte per 44. huius: si fuerit de die, non videbis eam: si verò de nocte, vide an fiet supra vel infra terram per 45. si fuerit infra terram, etiam non videbis: si verò supra, tunc poteris hunc laborem attentare, aliàs esset labor inanis. Per præcedentem itaque quære diuersitatem aspectus Lunæ in latitudine, per 13. huius, quære distantiam Lunæ à Planeta vel stella in latitudine, cui coniungitur. Si igitur Luna fuerit Meridionalior ipso Planeta, tunc distantiam in latitudine adde diuersitati aspectus in latitudine prius seruatæ, & habebis distantiam Lunæ visam Meridionalem ab ipso Planeta, quam serua, pòst quære per 36. secundæ partis, semidiametrum Lunæ visam: si ea semidiameter fuerit minor distantia Lunæ visa, non eclipsabit Planetam vel stellam, sed præteribit in parte Meridionali, vt patet in exemplo huius propositionis: si verò semidiameter Lunæ maior fuerit distantia Lunæ visa, tunc eclipsabit cum parte sua Septentrionali. Si fuerint æquales semidiameter visualis Lunæ & distantia Lunæ visa, tunc attinget Planetam vel stellam sua circumferentia Septentrionali, si fuerit plena: si verò corniculata, attinget Planetam vel stellam cum cornu Septentrionali.

Si autem Luna fuerit Septentrionalior Planeta vel stella, cum quo habet coniunctionem, tunc distantiam Lunæ in latitudine à Planeta, subtrahe à diuersitate aspectus, & habebis distantiam Lunæ visam Meridionalem. Si semidiameter Lunæ visualis fuerit minor ea distantia visa, non eclipsabit, sed præteribit in parte Meridionali: si verò maior, eclipsabit cum parte sua Septentrionali: si æqualis, attinget sua circumferentia vel cornu Meridionalior.

Si verò distantia Lunæ in latitudine subtrahi non possit à diuersitate aspectus, fiat econtrà, subtrahatur diuersitas aspectus à distantia Lunæ, & remanebit distantia Lunæ visa partis Septentrionalis. Si igitur semidiameter Lunæ minor fuerit distantia Lunæ visa, non eclipsabit: si maior, eclipsabit: si æqualis, attinget corpus Planetæ cum circumferentia aut cornu Meridionali.

Exemplum. Anno 1548. die 25. Nouembris hora 17. fit coniunctio Lunæ & Veneris secundum Ephemerides, per 11. huius tertiæ partis inuenio verum tempus coniunctionis ho. 16. mi. 35. diebus inæquatis, æquatis autem hora 16. mi. 59. per 15. tertiæ partis reperio verum locũ coniunctionis, scilicet 28. gr. 51. mi. ♎, per 34. secundæ partis quæro latitudinem Lunæ, quæ est 0. gr. 2. mi. Meridionalis, per 30. secũd. partis latitudo Veneris est 1. gr. 32. mi. Septentrionalis, per 14. tertiæ

partis distantia Lunæ à Venere est 1. gr. 34. mi. & Venus est Septentrionalior ipsa Luna, per 44 huius tertiæ partis reperio hanc coniunctionem fieri de nocte: oritur enim Sol hora 7. mi. 49. ante meridiem, & occidit hora 4. mi. 11. post meridiem, coniunctio verò fit hora 5. ante meridiem & ante ortum Solis, ergo de nocte: per 45. tertiæ partis scio hanc coniunctionem fieri supra terram, quia gradus, in quo fit coniunctio, 29. ferè gradus Libræ, oritur hora 3. mi. 46. ante meridiem & ante Solis ortum, & occidit hora 2. minu. 5. post meridiem, tempus itaque coiunctionis comprehenditur inter tempus ortus ipsius gradus & occasum eiusdem, per consequens erit supra terram & conspicua. Item per 46. 3. partis elicio coniunctionem fieri ante circulum meridianum, in parte videlicet Orientali: tempus enim inter ortum gr. & occasum eiusdem est 10. horarum 19. mi. medietas eius est 5. ho. 9. mi. quæ coniuncta tempori ortus ipsius gradus, aggregatum est 8. horæ 55. minu. tempus videlicet cœli mediationis gra. ipsius: tempus autem coniunctionis minus est tempore cœli mediationis ipsius gradus, igitur coniunctio præcedit circulum meridianum, fit ergo coniunctio ipsa ante circulum meridianum: per 47. itaque huius partis reperio distantiam temporis ♂ à circulo meridiano esse horarum 3. mi. 56. ferè 4. horarum: ex tabulis autem inuenio argumentum æquatum Lunæ sig. 9. gr. 9. mi. 58. sec. 33. & per 48. huius elicio diuersitatem aspectus 25. minutorum, quæ semper est Meridionalis in nostro septimo climate. Cùm autem Luna est Meridionalior Venere, coniungo diuersitatem aspectus cum distantia Lunæ à Planeta, aggregatum est 1. gr. 59. mi. per 36. secundæ partis inuenio semidiametrum Lunæ 15. mi. 42. sec quæ cùm sit minor distantia Lunæ à Venere, corpus Lunæ non attinget corpus Veneris, per consequens non eclipsabit eam, sed præteribit Venerem in parte Meridionali, & distantia centri corporis Veneris à cornu Lunæ Septentrionali, cùm sit deficiens lumine, est 1. gr. 43. mi. à qua etiam esset demenda diuersitas aspectus Veneris, si esset cognita: cùm superioribus ergo Planetis certior est visibilis coniunctio Lunæ quàm inferioribus, nisi eorum diuersitas aspectus esset obseruata. Quia autem coniunctio Lunæ & Veneris fit in parte Orientali, coniunctio visibilis præcedit verum tempus coniunctionis: si Luna Venerem eclipsaret, citius appareret visibilis coniunctio quàm vera.

Item anno Domini 1529. die 12. Martij fuit coniunctio Lunæ & Veneris, & eclipsauit Luna Venerem, videntibus pluribus hominibus cum magna admiratione: dicebant enim Lunam deuorasse:

uorasse stellam magnam, & post horam iterum euomuisse. Et fuit distantia Lunæ à Venere in meridie 4. gra 48. mi. Motus Lunæ in hora 37. mi. motus Veneris in hora 3. mi. Differentia motuum in hora 34. mi. quæ diuisoris locum habent. Tempus verum coniunctionis Lunæ & Veneris hora 7. mi. 35. inæquatum, at æquatum hora 7. mi. 43. verus locus Veneris 7. gr. 38. mi. ♉, latitudo Lunæ 1. gr. 6. mi. S. D. latitudo Veneris 0. gr. 1. min. M. A. Distantia in latitudine Lunæ & Veneris 1. gra. 7. minu. Locus coniunctionis oritur hora 7. mi. 10. se. 5. ante meridiem, occidit hora 9. mi. 18. sec. 31. post meridiem, tempus diurnum loci coniunctionis hora 14. mi. 8. sec. 26. semidiurnum hor. 7. mi. 4 sec. 13. tempus transitus loci coniunctionis per circulum meridianum hora 2. mi. 14. sec. 18. distantia loci coniunctionis à circulo meridiano in tempore hor. 5. mi. 28. sec. 42. Medius motus Solis ad tempus coniunctionis 11. 29. 48. 50. medius motus Lunæ 1. 3. 57. 55. medium argumentum Lunæ 6. 26. 12. 23. Centrum medium Lunæ 2. 8. 18. 10. Æquatio centri 9. 39. A. verum argumentum 7. 5. 51. 23. Semidiameter Lunæ 17. mi. 38. sec. diuersitas aspectus Lunæ 28. mi. quæ si subtrahitur à distantia Lunæ & Veneris in latitudine, residuum est 39. mi. latitudo Lunæ visa Septentrionalis, iam si nota esset diuersitas aspectus Veneris, ea quoque subtrahenda esset à latitudine sua, vel econtrà, & emergeret latitudo Veneris visa, quæ si esset eiusdem partis & eiusdem quantitatis cum latitudine Lunæ visa, sine dubio eclipsaret Venerem, & fieret coniunctio Lunæ & Veneris in lõgitudine & latitudine: si verò latitudo Veneris visa non esset eiusdem quantitatis cum latitudine Lunæ visa, subtrahatur ea à latitudine Lunæ visa, si residuum fuerit minus semidiametro Lunæ, eclipsabit Luna Venerem, non tamen diu occultabitur Venus, & erit coniunctio Lunæ & Veneris in longitudine tantùm: si verò residuũ fuerit æquale semidiametro Lunæ, Luna sua circumferentia attinget Venerem: Quod si illud residuum fuerit maius semidiametro Lunæ, Luna non eclipsabit Venerem.

Si verò latitudo ☽ visa & latitudo visa Veneris essent diuersarum partium, vna Septentrionalis, altera Meridionalis, coniungendæ sunt ambæ, quod aggregatum si maius fuerit semidiametro Lunæ, non occultabit ☽ Venerem: si verò fuerit æquale semidiametro Lunæ, attinget Luna Venerem: si fuerit minus, occultabit Luna Venerem: sic quoque cum Mercurio est procedendum. Præcedentes autem propositiones de occultatione tantùm de tribus superioribus & stellis fixis sunt intelligendæ.

Tabula di-

Tabula diuersitatis aspectus Lunæ in latitudine.

ARIES ♈.

Diuersitas latitudinis Lunæ.

	Distantia ☉ veræ à meridie		Signa argumenti ☽.						
			0	1	2	3	4	5	6
				11	10	9	8	7	
	Ho.	M.	m.	m.	m.	m.	m.	m.	m
Ante meridiem.	6	0	48	49	51	53	55	57	58
	5	0	4[illegible]	49	51	53	55	57	58
	4	0	46	47	49	51	52	55	56
	3	0	43	43	45	47	49	50	51
	2	0	38	39	40	42	44	45	46
			Nonagef. gr. ab ascē.						
	2	0	38	39	40	42	44	45	46
	1	0	34	35	36	27	38	39	40
Meridies			29	29	30	31	32	33	34
Post meridiem	1	0	26	26	27	28	29	30	31
	2	0	24	24	25	26	27	28	29
	3	0	22	22	23	24	25	26	27
	4	0	21	21	22	23	24	25	26
	5	0	20	20	21	22	23	24	25
	6	0							

TAVRVS ♉.

	6	54	49	50	51	53	55	57	58
Ante meridiem.	6	0	48	49	50	53	54	56	57
	5	0	46	47	48	52	52	54	55
	4	0	44	45	46	48	50	52	53
	3	0	42	43	44	46	48	49	50
	2	0	37	38	39	41	42	43	44
	1	23	32	34	35	36	28	39	40
			Nonageſi. gr. ab ascē.						
	1	23	33	34	35	36	38	39	40
	1	0	32	32	34	35	36	37	28
Meridies			27	27	28	30	31	32	33
Post meridiem.	1	0	24	24	25	26	27	28	29
	2	0	22	22	23	24	25	26	26
	3	0	22	22	23	24	25	26	26
	4	0	23	23	24	24	25	26	27
	5	0	24	24	25	25	26	27	28
	6	0	25	25	25	26	27	28	29
	6	54							

GEMINI ♊.

Diuersitas latitudinis Lunæ.

	Distantia ☉ veræ à meridie		Signa argumenti ☽.						
			0	1	2	3	4	5	6
				11	10	9	8	7	
	Ho.	M.	m.	m.	m.	m.	m.	m.	m.
Antemeridiem.	7	0	46	47	49	51	53	54	55
	6	0	45	46	47	49	51	52	53
	5	0	42	43	44	46	48	49	50
	4	0	39	40	41	43	45	46	47
	3	0	35	36	37	38	39	40	41
	2	0	31	32	32	33	34	35	35
	1	0	26	27	28	29	30	31	31
	0	36	24	25	26	27	28	29	30
			Nonagef. gra. ab ascē						
	0	36	24	25	26	27	28	29	30
Meridies			23	23	24	25	26	27	27
Post meridiem.	1	0	22	22	23	24	25	26	26
	2	0	23	23	24	25	26	27	28
	3	0	24	24	25	26	27	28	29
	4	0	27	27	28	29	31	32	32
	5	0	30	30	31	33	34	35	35
	6	0	33	33	34	35	37	38	39
	7	0	33	34	35	36	38	39	40

CANCER ♋.

Ante meridiem.	7	0	42	43	44	56	48	50	50
	6	0	39	40	41	43	44	45	46
	5	0	36	37	38	39	41	42	43
	4	0	32	33	34	35	36	37	38
	3	0	28	29	30	31	32	33	34
	2	0	25	26	26	27	28	29	29
	1	0	23	23	24	25	26	27	27
Meridies			21	21	22	23	24	25	25
			Nonagef. gra. ab ascē.						
Meridies			21	21	22	23	24	25	25
Post meridiem.	1	0	23	23	24	25	26	27	27
	2	0	25	26	26	27	28	29	29
	3	0	28	29	30	31	32	33	34
	4	0	32	33	34	35	36	37	38
	5	0	36	37	38	39	41	42	43
	6	0	39	40	41	43	44	45	46
	7	0	42	43	44	46	48	50	50

LEO ♌.

Diuersitas latitudinis Lunæ.

	Distantia ☉ veræ à meridie		Signa argumenti ☽.						
				1	2	3	4	5	
			0						6
				11	10	9	8	7	
	Ho.	M.	m.	m.	m.	m.	m.	m	m.
Ante meridiem.	7	0	33	34	35	36	38	39	40
	6	0	33	33	34	35	37	38	39
	5	0	30	30	31	33	24	35	35
	4	0	27	27	28	29	31	32	32
	3	0	24	24	25	26	27	28	29
	2	0	23	23	24	25	26	27	28
	1	0	22	22	23	24	25	26	26
Meridies			23	23	24	25	26	27	27
Post meridiem.	0	36	24	25	26	27	28	29	30
			Non agef. gr. ab ascē.						
	0	36	24	25	26	27	28	29	30
	1	0	26	27	28	29	30	21	21
	2	0	31	32	32	33	34	35	35
	3	0	35	36	37	38	39	40	41
	4	0	39	40	41	43	45	46	47
	5	0	42	43	44	46	48	49	50
	6	0	45	46	47	49	51	52	53
	7	0	46	47	49	51	53	54	55

VIRGO ♍.

Ante meridiē	5	0	24	24	25	25	26	27	28
	4	0	23	23	24	24	25	26	27
	3	0	22	22	23	24	25	26	26
	2	0	22	22	23	24	25	26	26
	1	0	24	24	25	26	27	28	29
Meridies			27	27	28	30	31	32	33
Post meridiem.	1	0	32	33	34	35	36	37	38
	1	23	33	34	35	36	38	39	40
			Nonagesi. gr. ab ascē.						
	1	23	33	34	35	36	38	39	40
	2	0	37	38	39	41	42	43	44
	3	0	42	43	44	46	48	49	50
	4	0	44	45	46	48	50	52	53
	5	0	46	47	48	52	52	54	55
	6	0	48	49	50	53	54	55	57
	6	54	49	50	51	53	55	57	58

LIBRA ♎.

Diuersitas latitudinis Lunæ.

	Distantia ☉ veræ à meridie		Signa argumenti ☽.						
				1	2	3	4	5	
			0						6
				11	10	9	8	7	
	Ho.	M.	m.	m.	m.	m.	m.	m.	m
Ante meridiem.	6	0							
	5	0	20	20	21	22	23	24	25
	4	0	21	21	22	23	24	25	26
	3	0	22	22	23	24	25	26	27
	2	0	24	24	25	26	27	28	29
	1	0	26	26	27	28	29	30	31
Meridies			29	29	30	31	32	33	24
Post meridiem.	1	0	34	35	36	37	38	39	40
	2	0	38	39	40	42	44	45	46
			Nonagef. gra ab ascē.						
	2	0	38	39	40	42	44	45	46
	3	0	43	43	45	47	49	50	51
	4	0	46	47	49	51	53	55	56
	5	0	48	49	51	53	55	57	58
	6	0	48	49	51	53	55	57	58

SCORPIVS ♏.

Ante meridiem.	5	6							
	5	0							
	4	0	22	23	24	25	26	27	27
	3	0	26	27	28	29	30	31	31
	2	0	29	30	31	32	33	34	35
	1	0	34	34	35	37	39	40	41
Meridies			38	39	40	42	44	45	46
Post meridiem.	1	0	43	43	45	47	49	50	51
	2	0	46	47	49	51	53	54	55
			Nonagef. gra. ab ascē.						
	2	0	46	47	49	51	53	54	55
	3	0	47	48	50	52	54	56	57
	4	0	48	49	51	53	55	57	58
	5	0	48	49	51	53	55	57	58
	5	6							

Tabula diuersitatis aspectus Lunæ in latitudine.

SAGITTARIVS ♐.

Diuersitas latitudinis Lunæ.

	Distantia ☿ veræ à meridie		Signa argumenti ☽.						
				1	2	3	4	5	
			0						6
				11	10	9	8	7	
	Ho.	M.	m.	m.	m.	m.	m.	m.	m.
Ante merid.	4	20							
	4	0							
	3	0	33	34	35	36	38	39	40
	2	0	37	38	39	40	42	43	44
	1	0	41	42	43	45	47	48	49
Meridies			45	46	48	50	52	54	55
Post meridiem.	1	0	48	49	51	53	55	57	58
	1	12	48	49	51	53	55	57	58
			Nonages. gr. ab ascē.						
	1	12	48	49	51	53	55	57	58
	2	0	49	50	52	54	56	57	58
	3	0	47	48	50	52	54	56	57
	4	0	45	46	48	50	52	53	54
	4	20							

CAPRICORNVS ♑.

Ante mer	4	0							
	3	0	42	43	44	46	48	49	50
	2	0	45	46	48	50	51	52	53
	1	0	47	48	50	52	54	56	57
Meridies			49	50	52	54	56	58	59
			Nonagesi. gr. ab ascē.						
Meridies			49	50	52	54	56	58	59
Post meridiem.	1	0	47	48	50	52	54	56	57
	2	0	45	46	48	50	51	52	53
	3	0	42	43	44	46	48	49	50
	4	0							

AQVARIVS ♒.

Diuersitas latitudinis Lunæ.

	Distantia ☿ veræ à meridie		Signa argumenti ☽.						
				1	2	3	4	5	
			0						6
				11	10	9	8	7	
	Ho.	M.	m.	m.	m.	m.	m.	m.	m.
Ante meridiem.	4	20							
	4	0	45	46	48	50	52	53	54
	3	0	47	48	50	52	54	56	57
	2	0	49	50	52	54	56	57	58
	1	12	48	49	51	53	55	57	58
			Nonages. gra. ab ascē.						
	1	12	48	49	51	53	55	57	58
	1	0	48	49	51	53	55	57	58
Meridies			45	46	48	50	52	54	55
Post meridiem.	1	0	41	42	43	45	47	48	49
	2	0	37	38	39	40	42	43	44
	3	0	33	34	35	36	38	39	40
	4	0							
	4	20							

PISCES ♓.

Ante meridiem.	5	6							
	5	0	48	49	51	53	55	57	58
	4	0	48	49	51	53	55	57	58
	3	0	47	48	50	52	54	56	57
	2	0	46	47	49	51	53	54	55
			Nonages. gra. ab ascē.						
	2	0	46	47	49	51	53	54	55
	1	0	43	43	45	47	49	50	51
Meridies			38	39	40	42	44	45	46
Post meridiem.	1	0	34	34	35	37	39	40	41
	2	0	29	30	31	32	33	34	35
	3	0	26	27	28	29	30	31	31
	4	0	22	23	24	25	26	27	27
	5	0							
	5	6							

De aspe-

De aſpectibus Solis & Planetarum inter ſe.

HActenus tractatũ fuit de aſpectibus Lunæ cum Sole & alijs Planetis, qui ſex columnulis diſtinguuntur: Luna enim propter velocitatẽ motus eius, quia in menſe perambulat omnia ſigna, in ſpacio vnius menſis omnibus Planetis coniungitur, & opponitur, reliquosque aſpectus cum illis perficit, tum dextros, tum ſiniſtros. Nunc conſequenter in eadem dextra facie poſt ſex columnulas aſpectuum Lunæ cum Planetis, ponuntur aſpectus Solis & Planetarũ inter ſe, prout titulus ipſe ſuprà poſitus oſtendit. Reliqui enim Planetæ etiam ob continuum eorum motum nunc inter ſe coniungũtur, nunc opponuntur, nunc trino, quarto ac ſextili aſpectu ſe contuentur: quibus autem menſibus & diebus tales aſpectus accidũt, ponuntur in Ephemeridibus poſt ſex columnulas aſpectuũ Lunæ, ſi qui accidunt in aliquo menſe.

PROPOSITIO L.

Propoſito die alicuius menſis, an in eum aſpectus duorum Planetarum aut plurium inter ſe, incidant, inuenire.

QVære nomen menſis propoſiti in dextra facie Ephemeridum, & ſub menſe in numero dierum diem propoſitum, & è regione extra ſex columnulas aſpectuum Lunæ cum Sole & reliquis Planetis, ſub titulo Solis & Planetarum inter ſe, inuenies an eo die vnus vel plures aut prorſus nullus aſpectuum Planetarum accidat, qualis autem ſit aſpectus & quorum Planetarũ, ex characteribus aſpectuum & Planetarum dinoſces. Exemplum. Voloſcire, an prima die Maij anno 1547. aliquis aſpectuum Planetarum inter ſe accidat, quæro in Ephemeridibus pro anno 1547. menſem Maium in dextra facie, & ſub nomine menſis inter numeros dierum accipio primum diem, & è regione ſub titulo Solis & Planetarum inter ſe reperio duos aſpectus, ☍ ♃ ☿, & □ ♀ ☿, ſecunda die nullus aſpectus ponitur, tertia die ſimiliter, nec quarta die, ſed quinta eiuſdem menſis eſt ☽ ☊, & ☊ ♄ ♂, id eſt, Luna eſt in capite Draconis ſui, & oppoſitio Saturni & Martis.

PROPOSITIO LI.

Dato aspectu duorum Planetarum, quo mense & die talis fiat, scisciari.

QVære in anno tuo proposito per singulas facies in dextra parte Ephemeridum sub titulo Solis & Planetarum inter se propositum aspectum, & vbi talem propositum aspectum inueneris, è regione versus sinistram in numero dierum inuenies diem, & supra numerum dierum nomen mensis, quibus videlicet talis aspectus accidat. Poteris etiam alia via talem aspectum promptius inuenire: Considera inprimis, vter Planetarum sit tardior in motu, quod ex motu diurno facilè elicies, deinde considera distantias aspectuum: si ergo propositus aspectus fuerit ✳, incipe numerare à loco tardioris Planetæ 60. gr. secundum ordinem signorum, & habebis signum, in quod cùm alter Planeta velocior venerit, & fuerint ambo in similibus gradibus, accidet propositus aspectus sinister, & è regione versus sinistram habes diem mensis suprapositi, deinde simili modo numera 60. gr. contra ordinem signorum, & cùm Planeta velocior venerit motu proprio in tale signũ, & fuerint in similibus gradibus, habent aspectum ✳ dextrum: pro □ autem numera 90. gra. secundum ordinem signorum, & habes signum, in quo accidet □ sinister, contra verò ordinem signorũ 90. gr. habes aspectum □ dextrũ: pro △ autem numera 120. gr. ante & post: pro ☌ 180. gradus: pro ☍ 0. signum, quia debent esse in eodem signo, gradu & minuto. Exemplum. Volo scire anno 1547. quo mense & qua die accidat ✳ ☉ ♄, quia Saturnus est tardior, & est in ♑, numero itaq; 60. gr. secundum ordinem signorum, à Capricorno incipiendo, & peruenio ad ♓, quia à loco Saturni ad signum Piscium consimilem gr. sunt 60. gr. quando igitur Sol tanquàm velocior Planeta venerit ad ♓, erit aspectus ille sinister: quæro igitur, quando Sol est in Piscibus, cùm fuerint in similibus gradibus, & reperio ☉ & ♄ 12. Februarij in similibus gradibus, erit ergo ea die ✳ ☉ ♄, qui etiam in dextra facie inter aspectus Planetarum ponitur. Simili modo numero contra ordinem signorum 60. gr. & peruenio ad ♏, quando igitur Sol venerit ad Scorpium, tunc fiet ✳ ☉ ♄ dexter, quæro itaque, quando ☉ fuerit in ♏, & cùm ☉ & ♄ fuerint in similibus gradibus præfato anno, & inuenio 14. die Octob. esse in similibus gr. ☉ in 0. gr. ♏, ♄ in 0. gr. ♑, ergo ea die fiet propositus aspectus, licet ponitur 15. die Octob.

hoc

hoc fit, quòd hora, qua accidit talis aspectus, cadit in diem 15. an- et meridiem. Sic quoque cum alijs aspectibus est agendum.

Cautela. Si Planeta tardior mutaret signum antequàm Planeta velocior veniret ad signum, in quo aspectus est quærendus, debes deinde à signo sequente, in quod videlicet ingressus est, numerare: vt, si Saturnus mutaret signum, & motu proprio veniret ex ♑ in ♒, debeo semper numerare à loco Planetæ tardioris, & peruenio ad Arietem, quando Sol veniret ad ♈, quærendus est talis aspectus. Sic quoque in cæteris aspectibus est intelligendum.

PROPOSITIO LII.

Aspectus Planetarum inter se, an veritati respondeant, examinare.

SÆpe accidit vitio Calcographorum, aspectus malè poni, pro ☌ videlicet ☌, & econtrà, pro ⚹, □ aut △, & econtrà, quæ res magnum facit in iudicijs & electionibus errorem. Cùm igitur aspectum quempiam examinare volueris, vide inprimis, in quibus sint signis Planetæ, & quam signa ipsa inter se distantiam habeant: si fuerit ☌, nulla debet esse signorũ distantia, sed debent esse in eodem signo, gra. arq; mi. si ⚹ fuerit aspectus, tunc debent inter se distare secundũ vel contra signorum ordinem per 60. gr. si fuerit □ aspectus, distantia debet esse 90. graduum: si △, 120. gr. si ☌, 180. gr. si talis distantia graduum non reperta fuerit, character ipsius aspectus est deprauatus, & est emendandus iuxta distantiam suam. Exemplum. Anno 1547. prima die Maij ponuntur duo aspectus, ⚹ ♃ ☿, & □ ♀ ☿, volo examinare, an veritati respondeant, considero inprimis aspectum ⚹ ♃ ☿, in quibus videlicet sint signis, & inuenio ♃ in ♓, ☿ in ♊, à Piscibus vsque ad Geminos sunt 90. gradus, 90. gra. autem non respondet sextili aspectui, sed quarto, ergo ⚹ aspectus est deprauatus, & loco eius est □ ponendus, & erit □ ♃ ☿. Alter autem aspectus videlicet □ ♀ ☿, considero in quibus signis sint, inuenio ♀ in ♈, ☿ in ♊, Aries autem & Gemini distant per 60. gr. sed 60. gr. non est quadrati aspectus distantia, sed sextilis, ergo emendandus est aspectus, pro □ ponendus est ⚹, & erit ⚹ ♀ ☿. An autem diei mensis, quo ponuntur, respondeant, vide an sint in similibus gradibus vel valde propè, id est vno gradu minus velocior Planeta, tunc benè sunt locati: si verò non sunt in similibus gr. vel valde prope, tunc non respondent ad diem, qua po-

nuntur, videndum ergo est, qua die sint in similibus gradibus vel velocior Planeta vno gr. minus ad maximum, ea die fit talis aspectus Verbi gratia, repetantur duo exempla prima die Maij anno 1547. volo videre, an iuxta emendationem aspectus deprauati, vbi sextilis aspectus pro □ positus est, ad ipsam primam diem respondeat, considero gr. in quibus Planetæ sunt, ♃ est in 8. gra. ♅ in 5 gr. quia non sunt in similibus gradibus, non ea die fit talis aspectus, sed tertia die, vbi ♃ est in 9. gr. & ♅ tanquàm velocior in 8. proximo minori, ergo ille aspectus □ non prima die, sed tertia accidet In tardis etiam Planetis non modò gradus, sed etiam minuta considerare oportet, prout propius aliqua die in minutis respondeant, ea die accidit aspectus, vt eodē anno in Aprili 12. die fit ✳♄♃, ante 12. diē & post sunt in eisdem gr. at 12. die in minut's ppinquissimè accedūt, & velocior Planeta, s. ♃ est in 39 mi. tardior s. ♄ in 44. & fit ea die ✳♄♃, & aliquot horis pòst, vt sequens propos. docebit. At alter aspectus, s. ✳♀♅, quia in gr. proximè respondent, & velocior Planeta est in minori gr. ob id ad diem præfatum bene respondet.

PROPOSITIO LIII.

Qua hora ac minuto fiat aspectus Planetarum inter se, indagare.

TEmpora aspectuum Lunę cum Planetis assignantur, at tempora aspectuum Planetarum inter se non. Si igitur volueris scire, qua hora ac mi. aspectus quispiam contingat, vide in primis an Planetæ sint in eodē gra. & mi. in meridie, tunc aspectus accidit directè hora meridiei .i. 12. diei: si verò non fuerint in eodem gr & mi. quęre cuiusq; Planetæ motū in hora, secundò si Planeta vterq; fuerit directus, aut vterq; retrogradus, subtrahe minorē motū in hora à maiori, residuū serua, erit enim diuisor: si verò alter fuerit directus & alter retrogradus, adde eorū motus in hora, & productū erit diuisor: tertiò cōsidera quis Planetarū sit velocior, quod ex motu Planetę in hora dinosces vel ex motu diurno, velocioris igitur motū in meridie scriptū, qui semper debet esse minor, quando ambo sunt directi, subtrahe à motu tardioris: quādo aūt retrogradi, tunc tardior debet esse minor, quem subtrahe à velociori, & habebis distantiā, quantū Planetæ in meridie distāt à perfecto aspectu: diuisore itaq; & distantia reductis in vnam denominationē, procede per omnia, vt in ☽ dictum est: diuide igitur distantiam per diuisorem, & in quotiente habebis

horas:

horas: si quid in residuo remansit, multiplica per 60. & productum iterũ diuide per priorem diuisorem, quotiens ostendit minuta horæ: & si quid remãsit in residuo, multiplica, vt prius, per 60. & productũ per diuisorem diuisum, in quotiente habet sec. Habebis itaq; tempus in horis & mi. quo aspectus ipse cõtingit. Quod si distantia diuidi non posset per diuisorem, multiplica per 60. & productum diuide per diuisorem, & habebis minuta horę, quibus fit aspectus, quæ computanda sunt ab hora 12. diei. Habito tempore aspectus, potes tale æquare, vt ☌, ☍ ac □ Solis & Lunæ. Contingit etiam quandoq; aspectus Planetarũ ea die poni, vbi velocior Planeta non minor, sed maior in motu est tardiore, & eius motus non potest subtrahi à motu tardioris, tunc accipe diẽ immediatè prẹcedentẽ, & quẹre, sicut dictũ est, diuisorem & distantiam cum reliquis: ponuntur enim aspectus Planetarũ inter se ad eum diem, cui meridiei propius contingunt.

Exemplũ, quando Planetæ sunt in eodẽ gr. & mi. in meridie. An. 1547. die Ianu. 29. est ☌ ☉ ♃, & vterq; Planeta est in eodẽ gr. & mi. in 19. videlicet gr. ac 22. mi. & nulla est Planetarũ distãtia in meridie, ergo directè ho. meridiei fit aspectus ppositus.

Exemplũ, vbi Planetæ non sunt in eodem gr. & mi. Ex prẹcedenti repetantur duo aspectus, ✳ ♀ ☿ die 1. Maij, & □ ♃ ☿ die 3. eiusdẽ mensis, volo scire qua hora fiat ✳ ♀ ☿, primò quẹro cuiusque Planetæ motũ in hora, & inuenio ♀ motum in hora 2. min. 2. sec. 30. ter. ☿ verò 4. mi. 17. se. 30. ter. & vterq; est directus, subtraho igitur motũ minorem à motu alterius, residuũ est 2. mi. 15. sec. & id pro diuisore seruo ad partem. Et quia ex motu horæ habeo, ☿ esse velociorem ♀, subtraho igitur motũ ☿ in meridie scriptũ à motu ♀, residuum ostendit distantiam duorũ Planetarum in meridie, 34. scilicet mi. illam igitur distantiam & diuisorem reduco ad eandem denominationem, ad sec. videlicet, erit diuisor in secundis 135. distantia verò 2040. sec. diuido igitur distantiam per diuisorẽ, quotiens est 15. ho. & in residuo manent 15. sec. quæ multiplico per 60. productum est 900. ter. illud diuido per priorem diuisorem, & quotiens est 7. mi. & in residuo manent 90. ter. quæ reduco per 60. ad q̃r. & sunt 5400. & diuido, vt prius, habeo in quotiente 40. sec. Dico itaq; propositum aspectũ, s. ✳ ♀ ☿, fieri die 1. Maij, ho. 15. mi. 7. sec. 40. post meridiem diebus non ẹquatis, ẹquatis verò ho. 15. mi. 27. sec. 40. Sic quoq; inuenies □ ♃ ☿ fieri die 3. Maij, motus ♃ in hora, 22. sec. 30. ter. ☿ 4. mi. 12. sec. 30. ter. diuisor est 3. mi. 50. sec. distantia 19. mi. & si processeris, vt dictũ est, elicies hor. 4. mi. 57. sec. 28. ferè, fiet igitur p̃dictus aspectus die 3. Maij ho. 4. mi. 57. se. 28. post merid. diebus inæquatis, ẹquatis ho. 5. mi. 17. sec. 28.

Exemplũ vbi vterq; est retrogradus. Die 5. Iunij anno 1547. fit ☌♄☿, motus in hora ♄ est 12. sec. 30. ter. ☿ 2. mi. 20. sec, diuisor 2. mi. 7. sec 30. ter. distantia 26. mi. & motum tardioris Planetæ subtraho à velociori, si processero iuxta Canonem, inuenio, quòd talis aspectus fit hora 12. mi. 17. diebus non æquatis, æquatis autem hora 12. mi. 35.

Exemplum vbi vnus directus alter retrogradus. Die 10. Iunij anno 1547. fit ☌☉☿, & ☿ est retrogradus, motus in hora ☉ est 2. mi. 22. sec. ☿ motus in hora 2. min. 35. sec. coniungo simul, aggregatum est 4. mi. 57. sec. quod seruo pro diuisore, distantia est 22. mi. reductis distantia & diuisore ad vnam denominationem, erit distantia 1320. sec. diuisor verò 297. sec. diuido itaque distantiam cum diuisore, inuenio 4. horas 27. mi. diebus non æquatis, æquatis autem hor. 4. mi. 43.

Exemplum, vbi aspectus ponitur, & motus velocioris pro distantia quærenda non potest subtrahi à motu tardioris, vt fit 24. Maij anno 1547. vbi ponitur aspectus □☉♃, ibi motus Solis est velocior quàm Iouis, & eo die non potest motus Solis tanquàm velocioris Planetæ à motu Iouis tanquàm tardioris subtrahi, ob id accipio motus eorum die immediatè præcedente, & illic erit distantia 44. mi. diuisor 2 min. 7. sec. tempus aspectus hora 20. minu. 5. diebus non æquatis, æquatis verò hora 20. mi. 25. post meridiem diei præcedentis: cùm autem tempus aspectus propius est meridiei 24. quàm 23. ob id aspectus ad 24. & non ad 23. positus est.

PROPOSITIO LIIII.

An tempus aspectus præcisum sit, experiri.

QVære verum motum vtriusq; Planetæ per 7. secundæ partis, ad tempus diebus non æquatis, si fuerint in eisdem vel in similibus gradibus, tempus tuum supputatum est verũ & præcisum: si non, reitera laborem. Exemplum. Prima die Maij fit ✳♀☿ hora 15. mi. 7. sec. 40. diebus non æquatis, vt præcedens propositio habet, volo scire an sit verum & præcisum illud tempus inuentum, quæro verum motum vtriusque Planetæ ad horam 15. minu. 8. inuenio verum motum ♀ ad præfatum tempus 6. gra. 31. mi. ♍, ☿ in 6. gra. 31. mi. ♊, quia sunt in similibus gradibus & minu. dico tempus inuentũ verum & præcisum esse.

Propo-

PROPOSITIO LV.

In quo gradu & minuto aſpectus Planetarum fiant, perſcrutari.

QVære per 53. huius, tempus aſpectus, per 7. ſecundæ partis verum motum alterius vel vtriuſque Planetæ, & habebis intentum. Verbi gratia, repetatur exemplum præcedentis propoſitionis ✻♀♅ prima die Maij, ♀ eſt in 6. gr. 31. mi. ♍, ♅ verò in 6. gr. 31. mi. ♊, quia ſunt in ſimilibus gradibus & minutis pro tempore inuento per præcedentem propoſitionem, ergo iſte aſpectus accidit in 6. gr. 31. mi. ♍ & ♊.

PROPOSITIO LVI.

An coniunctio duorum Planetarum aut Planetæ cum ſtella fixa fiat ſecundum longitudinem tantùm, vel ſecundum longitudinem & latitudinem, intelligere.

QVære per 29. ſecundæ partis & reliquas ſequentes propoſitiones de latitudinibus Planetarum, vtriuſque Planetæ latitudinem: ſi fuerint latitudines diuerſæ in gradibus & minutis, ſiue ſint eiuſdem denominationis, ſiue non, vel ſi fuerint latitudines æquales vel inæquales, diuerſarum tamen denominationum, erit coniunctio tantùm ſecundum longitudinem: ſi autem fuerint æquales latitudines in gradibus & minutis & eiuſdem denominationis, tunc fit coniunctio ſecundum longitudinem & latitudinem ſimul. Exemplum. Die 9. Ianuarij anno 1547. fit ☌♃♅, volo ſcire, an coniungantur ſecundum longitudinem tantùm, vel ſecundum longitudinem & latitudinem ſimul, latitudo ♃ ad diem 9. Ianuarij eſt 37. mi. M. A. ♅ verò latitudo eſt 1. gr. 36. mi. M. A. quia ſunt diuerſæ latitudinis in gradibus & minutis, licet ſint eiuſdem denominationis, erit coniunctio ſecundum longitudinem tantùm. Ita etiam fit ☌☉♃ 29. Ianuarij, Sol caret latitudine, ♃ diſtat verſus Septentrionem 2. gr. 40. minu. Item die 16. Februarij anni prædicti fit ☌♃♅, latitudo Iouis eſt 0. gr. 39. mi. M. D. Mercurij 2. gr. 6. mi. S. D. ibi eſt diuerſitas in gradibus & minutis, & etiam diuerſitas in denominatione, erit ergo coniunctio ſecundum longitudinem tantùm. Item 19.

die Nouembris præfati anni fit ☌ ♀☿, latitudo Veneris est o. gr. 56. mi. Septentrionalis, Mercurij verò o. gr. 55. ferè mi. Meridionalis, sunt ferè latitudines ęquales, tamen sunt diuersarum denominationum, ob id fit coniunctio tantùm secundum longitudinem. Item 25. Decembris anno 1545. fit ☌ ☉♃ secundum longitudinem & latitudinem, quia vterque in Ecliptica. Item 10. Maij anno 1549. ☌ ♃♀ ferè secundum longitudinem & latitudinem, sunt enim tantùm 8. mi. differentia, quibus Venus Meridionalior erit.

PROPOSITIO LVII.

Quanta sit tempore coniunctionũ duorũ Planetarum distantia in latitudine, dignoscere.

HÆc propositio satis patet per 14. huius tertiæ partis: quæ enim illic de Luna & Planeta dicuntur, hic de alijs Planetis inter se intelligenda sunt.

PROPOSITIO LVIII.

An in ☌ duorum Planetarum alter alterũ eclipsabit vel occultabit, præcognoscere.

PEr 56. huius, considera an fiat coniunctio secundum longitudinem & latitudinem, tunc sine dubio inferior superiorem eclipsabit vel occultabit. Vt anno 1545. die 25. Decemb. fuit ☌ ☉♃ secundum longitudinem & latitudinem, quia vterq; fuit in Ecliptica, quia autem Sol est inferior, occultauit igitur Iouem sine dubio, hora 3. post meridiem, si quis habuisset visum tam acutum, vidisset etiam talem occultationem.

Si verò non fuerit coniunctio secundum longitudinem & latitudinem, quære distantiã in latitudine tempore coniunctionis, si fuerit nulla vel admodum parua, vt duorum, trium, aut quatuor minutorum, alter alterum aliquantulum occultabit, & quanto ea distantia fuerit minor, tanto magis inferior superiorem eclipsabit. Vt anno 1549. die 10. Maij fit ☌ ♃♀, differentia latitudinis est 8. minu. quibus Venus est Meridionalior Ioue, cum sint Planetæ maioris quantitatis quàm reliqui, alter alterum ad minus attingeret hora coniunctionis, si Venus careret diuersitate aspectus. Fit autem ☌ illa post meridiem hora 16. mi. 33. id est, hora 4. mi. 33. ante meridiem diei 11. Maij, & coniunguntur in

9. gr.

9. gr. 37. mi. ♉, qui gradus oritur hora 3. min. 37. ante meridiem, ante videlicet ortum Solis, quæ coniunctio potest apparere propter magnitudinem illarum duarũ stellarum, & apparebunt adhuc maiores propter vapores iuxta Horizontem. At cùm Venus oriatur cum Pleiadibus, minatur auram pluuiosam, vt vix apparere posit illa coniunctio.

PROPOSITIO LIX.

An oppositiones Planetarum inter se fiant per diametrum, nec ne, siscitari.

QVære per 29. secundæ partis & alias sequentes propositiones de latitudinibus Planetarum, cuiusque Planetæ latitudinem, & considera diligenter denominationes earundem: si latitudines sunt æquales in gradibus & mi. & diuersarum denominationum, talis est diametralis ☌, ita vt centra corporum Planetarum & centrum terræ sint in vna linea recta. Si verò in gra. & minutis non fuerint æquales, siue sint eiusdem vel diuersarum denominationum, non erit diametralis oppositio. Si latitudines fuerint æquales in grad. & minutis, ac eiusdem denominationis, non per diametrum opponuntur, sed per chordam æquidistantem diametro Eclipticæ, & linea per centra corporum Planetarum ducta non transit per centrum terræ. Oppositiones autem diametrales semper sunt fortioris influxus, quàm reliquæ, quæ fiunt per chordam: nam illæ sunt veræ oppositiones.

PROPOSITIO LX.

Distantiam oppositionis à diametro perscrutari.

QVere latitudines vtriusq; Planetæ, & cõsidera, an sint eiusdem vel diuersarum denominationum, si fuerint diuersarum, subtrahe minorem latitudinem à maiori, & residuũ ostendit distantiã centri alterius Planetæ à puncto diametrali, & quanto ea distãtia fuerit minor, tanto effectus eius efficacior, & quanto maior, tanto debilior. Si verò fuerint eiusdem denominationis, coniunge latitudines duorum Planetarum, & habebis distantiam, quantum alter Planeta distat à puncto diametrali.

Finis tertiæ partis.

QVARTA PARS COMMENTARIORVM D. ANDREAE PERLACHII, QVAE tradit principia Astrologiæ.

PROPOSITIO I.

Partes tabulæ domorum declarare.

INprimis in capite tabulæ offert se titulus, ad quam poli eleuationem tabula domorũ proposita deseruiat, sub eo titulo characteres signorum Zodiaci, in quibusdam tabulis nomina signorum ponuntur, vero loco Solis deseruientes, sub quolibet characterе ☉ septem offeruntur columnulæ, titulus primæ est, Tempus à meridie in horis, minutis & sec. secundæ columnulæ titulus est 10. decimæ enim domui signum & gradus illic positi deseruiunt: titulus tertiæ columnulæ est 11. signum enim, gra. ac minuta ibidem subiecta vndecimæ domui dicantur: sic quarta columnula habet 12. duodecimæ domui seruiens: quinta columnula habet pro titulo 1. pro prima domo: sexta 2. pro secunda domo: septima 3. pro tertia domo, & ita habentur in tabula sub quolibet signo ☉ sex domorum initia.

PROPOSITIO II.

Figuram cœli ad horam diei meridianam erigere.

FIguram cœli ad aliquod momentum erigere, est totius cœli positionem pro tali momento ordinare & describere in plano aliquo, vt sciamus, quæ signa ac sidera sint supra terram, quæ infra, quæ oriantur, & quæ occidant. Volens igitur totius cœli positionem ad horam diei meridianam habere, quærat inprimis verum Solis locum in signis, gradibus & minutis ad horam meridiei per 3. secundæ partis: secundò quærat characterem signi Solis in capite, gradũ autem eius in columnula decimæ domus, & in linea transuersali versus dextram habebit in sex columnulis sex domorum initia, decimæ, vndecimæ, duodecimæ, primæ, secundæ, & tertiæ domorum: scribat igitur gradum decimæ

cimæ domus in figura ad lineam repræsentantem domum decimam, gradum & minutum vndecimæ ad lineam vndecimæ domus, & sic consequenter vsque ad domum tertiam: reliquæ sex domus, puta 4. 5. 6. 7. 8. 9. cùm sint oppositæ prioribus sex domibus, per conformes gradus oppositorum signorum inscribuntur: opponitur autem quarta domus decimæ, quinta vndecimæ, sexta duodecimæ, septima primæ, octaua secundæ, nona tertiæ. Linea itaque decimæ domus repræsentat medietatem circuli meridiani supra terram, linea quartæ domus medietatem circuli meridiani sub terra, linea autem primæ domus repræsentat medietatem circuli horizontis orientalis, linea septimæ medietatem horizontis occidentalis, & sic istæ quatuor domus repræsentant quatuor angulos mundi, Ortum videlicet, & Occasum, Meridiem & Septentrionem.

Exemplum. Volo figuram cœli erigere ad meridiem diei 16. Martij, anno 1548. quæro itaque verum Solis locum ad meridiem diei propositi, & inuenio Solem in 6. gr. 0. mi. Arietis, signum vel characterem signi loci Solis, id est, Arietem quæro in capite tabulæ, gradum autem 6. in quo Sol est inuentus, in linea decimæ domus sub titulo 10. & in ea linea versus dextram habentur sex domorum initia, decimæ videlicet, vndecimæ, duodecimæ, primæ, secundæ, & tertiæ, prout titulus supernè positus ostēdit. Describo itaq; figuram in plano cū lineis suis 12. domos repræsentantes, suprema linea repræsentat initium domus decimæ, linea sequens versus sinistram denotat initium domus vndecimæ, sequens iterū initium 12 domus, quæ illam sequitur, primæ domus initium, proxima sequens secundæ domus, & ita consequenter procedendo vsque ad decimam domum, prout numerus circa lineas indicat. Scribo ita numerum scilicet 6. sub titulo 10. inuentum, ad lineam supremam in figura, quæ decimam domum repræsentat, cum suo signo, quod proximè superius in eadem columnula occurrit: in sequenti columnula sub titulo 11. reperio 17. gr. 52. mi. Tauri, quæ scribo ad lineam vndecimæ domus: sub titulo 12. reperio 0. gr. 12. minu. Cancri, quæ scribo ad lineam duodecimæ domus: ad lineam primæ domus scribo 28. grad. 4. minu. Cancri: ad lineam secundæ 18. gra. 22. mi. Leonis: ad lineam tertiæ domus, 8. gr. 33. mi. Virginis, & sic habeo sex domorum initia, decimæ, vndecimę, duodecimæ, primæ, secundæ, & tertiæ: pro reliquarum domorum initijs inscribo conformes gradus ac minuta, signa tamen opposita, & sic ad lineam quartæ domus, quæ est opposita decimæ, scribo 6. gr. Libræ: ad quintam, quæ est opposita vndecimæ, scribo 17. gra.

52. mi. Scorpij, ad lineam sextæ scribo o. gr. 12. mi. Capricorni, ad lineam septimæ 28. gra. 4. mi. Capricorni, ad lineã octauæ 18. gr. 22. mi. Aquarij, ad lineam nonæ domus 8. gr. 33. mi. Piscium, quæ omnia in sequenti figura clarissimè patent.



Si locus Solis non fuerit pręcisè in gra. aliquo integro, sed adhęserint aliqua mi. vltra integrũ gr. primò omninò agendum est cum integro gr. & elicienda ♂. domorũ initia, vt dictũ est: deinde cuiusq; domus elicienda est differentia numeri integro gradui respondentis & numeri immediatè sequentis descendendo, pòst differentia cuiusq; domus multiplicanda est in min. residua loci ☉, productũ diuidendũ per ♂o. & quotiẽs est addendus ad minuta domus, cuius differentia fuit multiplicata, & aggregatũ in gradibus & mi. erit initium domus illius, gradibus & minu. Solis respondens, ad suam lineam in figura scribendum.

Exemplum. Sit locus Solis verus 6. gr. 30. minu. Arietis ad horam meridiei supputatus, volo inuestigare initia 6. domorum loco Solis in gradibus & minutis respondentia, primò intro, vt prius monitum est, cum signo Solis in capite & gradu 6. videlicet in linea decimæ domus, & sex domorum initia extra scribo, & numeros immediatè sequentes similiter extra scribo supra primum ordinem, sic.

G.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
7	18	58	1	3	28	45	19	4	9	21
6	17	52	0	12	28	4	18	22	8	33

Deinde subtraho numerum minorem à maiori, & residuum erit differentia duorũ numerorum immediatè sesequentium, sic.

G.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
7	18	58	1	3	28	45	19	4	9	21
6	17	52	0	12	28	4	18	22	8	33
1	1	6		51		41		42		48

Hæc differentia est multiplicanda in minuta Solis vltra integros gradus, & productum diuidendum per 60. & erit quotiens

G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
0	30	0	33	0	25	0	20	0	20	0	24

Pars proportionalis, 30. minutis Solis in qualibet domo respondens, quæ est addenda ad primum introitum, qui 6. integris gradibus respondet, & erunt initia domorum pro vero Solis loco, 6. videlicet gra. 30. minutis, vt sequitur.

10		11		12		1		2		3	
G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
6	30	18	25	0	37	28	45	19	4	9	21

PROPOSITIO III.

Figuram cœli ad tempus vel momentum quodcunque pomeridianum constituere.

INprimis per 7. secundæ partis, quæratur verus Solis locus in gradibus ac minutis ad tempus, ad quod figuram cœli erigere intendis, & considera, an gradui Solis adhæreant minuta, nec ne: si fuerit locus Solis integer gradus sine minutis, tunc, vt in præcedenti propositione monitum est, quæratur signũ Solis

in capite

in capite tabulæ, & gradus in columnula decimæ domus, & tempus à sinistris ipsius gradus positum extra scribe in horis, minutis & secundis, tali tempori extra scripto adde tempus tuum pomeridianum, ad quod figuram cœli constituere statuisti, secunda secundis, minuta minutis, horas horis, quoties in secundis excreuerint 60. adde vnum ad minuta, residuum seruetur in loco sec. similiter quoties minuta excreuerint 60. adde vnum ad horas, residuum in loco minutorum seruando, & aggregatum si non excesserit 24. quære in tabula sub titulo Tempus à meridie, & vbi tale aggregatum in tempore inueneris, è regione habes sex domorum initia, quæ extra scribe in figuram, quemadmodum in præcedenti propositione est dictum, & habebis figuram cœli in signis, gradibus ac minutis pro tempore vel momento tuo pomeridiano proposito. Exemplum. Volo erigere figuram cœli ad horam 4. mi. 3. sec. 22. post meridiem diei 24. Martij, per 7. secundæ partis, reperio Solem ferè in 14. gr. Arietis, quæro itaque signum Arietis in capite tabulæ, gradum autem 14. Arietis in columnula decimæ domus, & à sinistris inuenio hor. 0. mi. 51. sec. 29 quod tempus extra scribo ad partem, huic tempori extra scripto addo tempus propositum pomeridianum, & aggregatum est 4. horæ 54. mi. 51. sec. quæ quero in columna sub titulo Tempus à meridie, & tale aggregatum inuenio præcisè in horis, minutis & secundis, è regione igitur offeruntur sex domorum initia pro tempore proposito, vt sequitur.

10	11		12		1		2		3	
♊	♋		♌		♍		♎		♏	
G.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
15	24	18	24	36	18	1	10	2	8	1

Illa initia sex domorum scribo ad lineas domorum in figura depictas, deinde aliarũ domorum initia per conformes gradus oppositorum signorum, vt in præcedenti propositione dictum est, & habeo duodecim domorum initia in signis, gradibus ac minutis pro tempore proposito.

Quod si accideret, vt aggregatũ ex additione temporũ excresceret 24. tunc 24. sunt demenda, & residuũ est quærendũ in columnula, cui titulus Tempus à meridie, quemadmodum dictum est de aggregato, & vbi inueneris tale residuum, è regione habebis sex domorum initia pro tempore tuo proposito.

Si verò gradui Solis adhærent minuta aliqua, oportet in primis tempus, quod ponitur a sinistris gradus ipsius Solis, rectificare ad minuta Solis, tali videlicet modo: tempus repertum à sinistris

ipsius

ipsius gradus Solis extra scribe, deinde quære differentiam temporis extra scripti & temporis immediatè sequentis in columna temporis, ea differentia multiplicanda est per minuta Solis, & productum diuidendum per 60. quotiens in minutis & secundis addendus est ad tempus extra scriptum, & habebitur tempus respondens vero loco Solis in gradibus & minutis, huic tempori sic rectificato adde tempus tuum propositum, ad quod figuram cœli erigere statuisti, & aggregatum si non 24. excesserit, quære in columna temporis, & vbi inueneris tale aggregatum, habebis è regione sex domorũ initia, cum quibus age, sicut prius dictũ est.

Exemplum. Volo erigere figuram cœli ad horam 12. mi. 14. sec. 12. post meridiem diei 24. Martij anno 1548. quæro verũ locum Solis ad tempus propositum, & inuenio Solem in 14. gr. 20. ferè mi. Arietis, intro, vt prius, in tabulam domorum cum signo & gradu Solis, & è regione gradus Solis, s. 14. inuenio à sinistris horam 0. mi. 51. sec. 29. quod tempus extra scribo, deinde quæro differentiam huius temporis & temporis immediatè sequentis in columna temporis, & inuenio differentiam 3. minu. 41. sec. quam multiplico per minuta Solis, & productum diuido per 60, in quotiente reperio 1. mi. 40. sec. temporis, quæ addo ad tempus extra scriptum, & habebitur tempus vero loco Solis in gradibus atque minutis respondens, scilicet horam 0. mi. 52. sec. 9. huic tempori sic rectificato addo tempus pomeridianum, scilicet horas 12. mi. 14. sec. 12. & aggrego horas 13. minu. 6. sec. 21. quod aggregatum quæro in columna, cui titulus est Tempus à meridie, & è regione inuenio sex domorũ initia, & per consequens etiam initia 12. domorum in signis & gradibus.

Quod si aggregatum ex additione temporum non præcisè repertum fuerit in columna temporis, accipienda est pars proportionalis, tali modo: accipe tempus proximè minus tuo aggregato in tabula temporis, & scribe extra ad partem, tempus videlicet ipsum cum initijs sex domorum: secundò quære differentiam temporis extra scripti, similiter domorum extra scriptarum, & numeri immediatè sequentis in tabula, hæc differentia temporis erit diuisor: tertiò quere etiam differentiam inter tempus extra signatum & tempus quod quæris, subtrahendo tempus extra scriptum à tempore aggregati, & hæc differentia habebit secundum locum, differentia aut cuiuslibet domus seorsum tertium locũ in regula Detri habebit, multiplica secundum numerum per quamlibet differentiam domorum seorsum, & producta diuide per diuisorem, & habebis cuiusque domus partem proportionalem addendam ad initia sex domorum extra nota-

tarum, & sic habes initia sex domorum pro tuo aggregato temporis, quod quæsiuisti. Exemplum. Volo erigere figuram cœli ad horam ♂. pomeridianam, minu. 45. diei primæ Martij anno 1548. Locus Solis est 21. gr. 28. mi. Piscium, tempus loco Solis respondens est hor. 23. mi. 28. sec. 43. huic tempori addo tempus pomeridianum, scilicet ♂. horas 45. minu. aggregatum erit horæ 30. mi. 13. sec. 43. quia numerus horarũ excedit 24. abijcio 24. residuum pro aggregato temporis seruo, & erit hor. ♂. mi. 13. sec. 43. illud tempus quæro in columna temporis, sed non præcisè inuenio, accipio tempus proximè minus, scilicet horas ♂. mi. 13. sec. 5. quod extra scribo vnà cum initijs sex domorum, vt sequitur.

	Tempus.	10 ♋	11 ♌	12 ♍	1 ♎	2 ♏	3 ♑
proximè minus.	♂ 13 5	3	10 56	9 29	2 25	25 31	24 39
immed. sequẽs	♂ 17 26	4	11 51	10 19	3 13	26 21	25 34
differentia	4 21	1	55	50	48	50	55

Differentia itaque duorũ temporum proximè minoris & immediatè sequentis est 4. mi. 21. sec. quæ primi numeri in regula Detri, diuisoris videlicet locum obtinebit, deinde subtraho tempus proximè minus, scilicet hor. ♂. mi. 13. sec 5. à tempore proposito, quod quæris, scilicet hor. ♂. mi. 13. sec. 43. & est differentia 0. mi. 38. sec. quæ est numerus secundus, tertium locum habebit quælibet differentia domorum seorsum.

Domus	10	11	12	1	2	3
partes proportiõ. dom.	9	8	7	7	7	8

Istæ partes proportionales addendæ sunt ad initia domorum extra notatarum, & prodibunt initia domorum pro tempore proposito, vt sequitur.

10 ♋	11 ♌	12 ♍	1 ♎	2 ♏	3 ♑
2 9	11 4	9 36	2 32	25 38	24 47

Illa initia scribo ad figurã cum reliquis oppositis videlicet domibus, vt prius dictũ est, & habeo figuram cœli pro tempore proposito pomeridiano, s. ad hor. ♂. mi. 45. cum signis, gra. & minu.

Si tempus propositum, pro quo vis erigere figuram cœli, fuerit ante meridiem secundum horologiũ dimidium, adde tempori tuo proposito 12. & habebis tempus pomeridianum secundum horologium integrum à meridie præcedentis diei numerandum, cum eo procede, sicut in præcedentibus dictum est.

Vel

Vel habito vero Solis loco pro tempore dato ante meridiem secundum horologium dimidium, quem quære in tabula domorum in linea decimæ domus, & elice tempus à sinistris sibi respondens, vt in præcedentibus fuit admonitum, deinde quære distantiam temporis propositi ante meridiem ab hora 12. subtrahendo videlicet tempus propositum à 12. & residuum ostendit distantiam, eam distantiam subtrahe à tempore loco Solis respondenti, si subtractio fieri non poterit, addantur 24. & à producto subtrahe distantiam, & residuum quære in columna temporis, & vbi tale tempus reperies, habebis initia sex domorum cœli.

Exemplum. Volo erigere figuram cœli ad horam 8. min. 30. ante meridiem diei 25. Martij anno 1548. Locus verus Solis est 14. gra. 41. min. Arietis, tempus huic loco Solis respondens hora 0. mi. 54. sec 0. distantia temporis antemeridiani à 12. est hor. 3. mi. 30. illam subtraho à tempore vero loco Solis respondenti, & relinquũtur horæ 21. mi. 24. sec. 0. illud tempus quero in columna temporis, quia autem non præcisè reperio, accipio partem proportionalem domorum, quemadmodum in prædictis monitum est, & habebo initia sex domorum, vt sequitur.

10	11	12	1	2	3
♒	♓	♉	♊	♋	♌
18 34	17 5	7 10	20 12	13 40	0 30

Hæc initia domorũ scribo ad figuram & habebo figuram cœli cũ initijs domorũ in signis, grad. & mi. pro tempore proposito.

Et est notandum in erectione figuræ cœli, quòd semper erigatur figura ad tempus æquatum, quod consideratur secundum dies veros, qui inæquales sunt. Deprehenditur autem tale tempus per instrumenta Astronomica, puta Astrolabium, Quadrantem, & alia, similiter ex horologijs sciotericis siue vmbrarum: ex pulsatilibus autem horologijs nunquàm aut raro tempus æquatum sciri potest, quia pondera inequaliter rotulas mouent, quanto enim pondus magis distat à rotula, tanto grauius ponderat, & sic rotula, quam mouet, citius perficit ambitum suum, & per consequens breuior erit hora in aliquot minutis, præterea raro ad amussim vmbratilium horologiorum rectificantur, quòd quandoque in aliquot diebus non appareat Sol, ideò æquatio non habet locum. Tempora verò, quæ eliciuntur ex tabulis, vt sunt ☌, ☍, □, & aliorum aspectuum, quia tabulæ ad dies æquales sunt compositæ, respondebunt etiam diebus æqualibus, illa ergo oportet æquare.

Et cùm figura cœli est erecta ad tempus ęquatum, & vis loca Planetarum inscribere in figuram, debes demere ęquationem, & relinquitur tempus inæquatum, ad tale tempus debes supputare loca Planetarum, & illa posteà loca ad diem naturalem verum per 9. propositionem secundę partis rectificare, deinde etiam ad meridianum tuum: cùm enim locus ☽ rectificatur ad dies inæquales, habetur locus ☽ secundum dies inæquales & veros pro eo momento, ad quod locus ☽ est supputatus secundũ dies ęquales: locus ☽ vel alterius Planetæ ad quodcunque tempus supputatus fuerit, semper æqualibus diebus respondet, quia tabulæ motuum sunt ad dies æquales compositæ, ideò opus est rectificatione pro diebus inæqualibus.

PROPOSITIO IIII.

Planetarum atque stellarum fixarum loca figuræ cœli per pręcedentes propositiones erectæ artificialiter inserere.

INtellectus huius propositionis pendet ex duobus, quo videlicet modo in figura cœli primum mobile voluatur, & quis sit ordo signorum: primum autem mobile, quod perficit motũ suum in 24. horis, mouetur à cuspide vel principio primæ domus in domum duodecimam, à 12. ad vndecimã, ab 11. ad decimam, pòst ad nonam, octauam, & septimam, & in cuspide septimæ domus fit occasus, à cuspide septimæ ad sextam domum, deinde ad quintam, à quinta ad quartam, à quarta ad tertiam, à tertia ad secundam, à secunda ad primam, vbi iterum oritur: at ordo signorum & graduum est à prima domo versus secundam, à secunda versus tertiam, à tertia versus quartam, & ita consequenter iuxta domorum ordinem.

Ex pręcedentibus itaq; propositionibus potest erigi ad quodcunque momentũ figura cœli, quæ videlicet signa sint supra terram, quæ infra, quod signum oriatur, quod occidat, ac quod signum domum quamlibet possideat. Restat nunc scire, in quibus domibus sint Planetæ vel stellæ fixæ, præsertim fulgentiores, locandæ. Quære itaque in primis per 3. propositionem aut 7. secundæ partis, loca Planetarum in longitudine, deinde etiam per 29. & sequentes eiusdem partis, in latitudine: his habitis, considera quæ domorum contineat signum, in quo Planeta fuerit: si Planeta fuerit in eo gradu, qui ponitur in cuspide domus, Plane-

ta

ta etiam ipse, si caret latitudine, in cuspide domus est locandus: si plures gradus in longitudine cuspidem domus possederint, quàm sit longitudo Planetæ, Planeta est scribendus in domũ pręcedentem cuspidem, ad quam videlicet fit motus primi mobilis, ea enim continet gradum Planetæ: si verò pauciores, in domum sequentem, quæ signum & gradum Planetæ comprehendit, est locandus, quæ videlicet sequitur cuspidem domus.

Quòd si Planeta habuerit latitudinem & eam Septentrionalem, & signum Planetæ fuerit in aliqua domorum, quæ est in medietate cœli ascendente, quæ videlicet est à principio decimæ ad finem vsque tertiæ, & gradus longitudinis Planetæ fuerit in cuspide alicuius domus, Planeta est scribendus in domum præcedentem vltra cuspidem, versus quam est motus primi mobilis: si verò latitudo Planetæ fuerit meridionalis, contrà agendum erit, Planeta est in eam domum locandus, quæ cuspidem sequitur secundum ordinem domorum.

Si Planeta fuerit in medietate cœli descendẽte, quæ est à principio quartæ vsque ad finem nonæ, & si longitudo Planetæ fuerit in cuspide alicuius domus, contrario modo agendum est: si habuerit latitudinem Septentrionalem, locandus est Planeta in domum, quæ cuspidem sequitur secundum ordinem domorum: si Meridionalem, in præcedentem domum est ponendus, versus quam fit motus primi mobilis. Stellæ enim fixæ vel Planetæ habentes latitudinem Septentrionalem, citius oriuntur, & tardius occidunt: qui verò habent Meridianam latitudinem, tardius oriuntur, & citius occidũt, quàm gradus eorum longitudinis.

De stellis autem fixis magnam habentes latitudinem, nulla potest dari certa formula, in quam domum sint locandæ, nisi consulatur 21. problema tabularum directionum Ioannis de monte Regio, ista tamen cautela consideranda est, si habentur stellarũ gr. ortus & occasus ad latitudinem regionis vel loci cuiuspiam alterius, & ad cuspides aliarum domorum: si gr. ortus regionis ceciderit in cuspidem primæ domus, stella etiam est ponenda in cuspidem primæ domus: si gradus ortus fuerit supra horizontem, stella quoque erit supra horizontem: si fuerit sub horizonte, stella quoque erit sub horizonte orientali, ita quoque de alijs cuspidibus domorum in medietate cœli ascendente existentibus si ad earum eleuationes seorsum habentur gr. ortus, est intelligendum.

Si stellæ fixæ fuerint in medietate cœli descendente, considerandus est gradus earum occasũs in regione tua, si gradus occasus fuerit in cuspide septimæ domus, stella quoq; est locanda ad

cuſpidem ſeptimæ: ſi gradus occaſus fuerit ſub horizonte, ſtella quoque erit ſub horizonte: ſi ſupra horizontem, ſtella quoque erit ſupra horizontem: ita quoque eſt intelligendum de cæteris domibus in medietate cœli deſcendente exiſtentibus, ſi gradus occaſus ad earum eleuationes polares ſunt ſupputati.

Si haberentur tabulæ de ortu & occaſu Planetarum ad octo gradus latitudinis, facilè elici poſſet, cùm Planetæ haberent latitudinem, cum quo gradu orirentur, vel occiderent, & per conſequens facilè coniecturari, in quam domum eſſent locandi.

PROPOSITIO V.

Tempore quocunque propoſito, quod ſignum & quotus gradus ſigni aſcendens vel alterius domus cuſpidem poſsideat, inuenire.

IN hac propoſitione non aliter, quàm dictum eſt de erectione figuræ cœli, eſt procedendũ, quod inprimis verus locus Solis ſit accipiendus ad horam meridiei diei propoſiti, qui deinde in linea decimæ domus quærendus, ſi propoſitum tempus eſt meridianum, è regione gradus Solis ſub titulo domus propoſitæ inuenies gradum & ſignum, quod domum propoſitam poſsideat: ſi domus propoſita in tabula non fuerit expreſſa, accipe domus propoſitæ domum oppoſitam, & gradus illic repertus, ſigni tamen oppoſiti, quod ibi ponitur, poſsidet domũ tuam propoſitã.

Si tempus fuerit pomeridianum, vt prius, ſupputandus eſt verus Solis locus ad tale tempus, & locus ☉ in linea decimæ quærendus, & tempus loco Solis reſpondens, vt docet 3. propoſitio, eliciendum, eidem tempus pomeridianum adijciendum, & vbi aggregatum tale ſiue præciſè ſiue non præciſè reperiatur, gr. & minuta domus propoſitæ, vt 3. propoſ. docet, elicies, & per conſequens totam figuram cœli: ſi domus propoſita non fuerit in tabula expreſſa, accipe domum eius oppoſitam, & gradus ac minuta ſigni oppoſiti occupabunt cuſpidem domus propoſitæ.

Exemplũ Sit tempus propoſitũ hora meridiei diei 16. Martij, volo ſcire quis gradus aſcendat vel cuſpidem primæ domus poſsideat, locus ☉ eſt 6. gr. ♍, quem quero in linea 10. domus, & è regione ſub titulo primæ domus inuenio 28. gr. 4. mi. ♋, dico igitur, tempore propoſito aſcendens vel primæ domus cuſpidem poſsidere 28. gr. 4. minu. Cancri.

Si

Si quinta domus poneretur, & velim ſcire quod ſignũ & quo' tus gradus ſigni eius cuſpidem occuparet, quia quinta domus non eſt in tabula domorum expreſſa, accipio domum eius oppoſitam, quæ eſt 11. domus, & ſub titulo 11. è regione gradus Solis inuenio 17. gr. 52. mi. ♉, accipio ſignum oppoſitum, ſcilicet ♏, & dico cuſpidem quintæ domus poſsidere 17. grad. 52. minu. Scorpij.

Aliud exemplum. Sit tempus propoſitum pomeridianum hora 12. min. 14. ſec. 12. poſt meridiem diei 24. Martij, volo ſcire quod ſignum & quis gradus cuſpidem ſeptimę domus poſsideat, ſi proceſſero iuxta doctrinam 3. propoſitionis, inuenio è regione horarum 13. mi. 6. ſec. 21. propoſitum: cùm autem ſeptima domus non eſt expreſſa in tabula domorũ, accipio eius domum oppoſitam, ſcilicet primam, & inuenio ſub titulo primæ domus 19. gr. 18. mi. Sagittarij, accipio ſignum oppoſitum, ſcilicet Geminos, & dico, propoſito tempore cuſpidẽ ſeptimæ domus poſſidere 19. gr. 18. mi. Geminorum, quod fuit intentum.

PROPOSITIO VI.

Propoſito gradu vel gradu & minuto alicuius ſigni, quo tempore oriatur, inquirere.

ACcipe ex Ephemeridibus verum locum Solis ad horam meridiei, quem quære in linea decimæ domus, & tempus loco Solis reſpondens ſcribe ad partem, deinde quære gradum propoſitum aut gradum & minuta, in linea primæ domus, & tempus illi reſpondens quoque extra ſcribe, quod tali modo inuenitur: ſi gradus propoſitus aut minuta non præciſè reperiantur in columnula primæ domus, accipe inprimis gradus & minu. proximè minores, & ſubtrahe à numero immediatè ſequente, differentia erit numerus primus: deinde ſubtrahe numerum proximè minorem à numero tuo propoſito, & differentia erit tertius numerus: ſecundus eſt differentia temporis minori numero in columnula domus reſpondens, & numeri immediatè ſequentis, & procedatur iuxta regulã Detri, in quotiente habebis mi. & ſec. addẽda tẽpori, quod ,pximè minori numero in columna domus repto reſpondet, & habebis prçciſum tempus reſpondens propoſito gr. & mi. pòſt ſubtrahe primũ tempus à tẽpore iam extra

ſcripto,

ſcripto, accommodatis 24. horis, ſi ſubtractio fieri nequit, & relinquetur tempus prope verum, quo propoſitus gradus, aut gradus & minuta oriantur. Si tempus præciſum habere volueris, ſupputa verum locum Solis ad tempus iam inuentum, & reitera laborem, & habebis præciſum tempus ortus propoſiti gradus.

Exemplum. Sit propoſitus gradus 19. mi. 18. ♑, volo ſcire, qua hora ac minuto oriatur die 24. Martij anno 1548. inprimis accipio locũ Solis in meridie, 13. gr. 50. mi. ♈, quem quæro in linea decimæ domus, & elicio tempus illi reſpondens, horam 0. mi. 50. ſec. 52. deinde quæro gradum & mi. propoſitum, ſcilicet 19. gr. 18. mi. ♑, ſub titulo primæ domus, & reperio præciſè 19. gr. 18 minu. in tabula ſub charactere ſigni ♎ in capite poſito, & è regione tempus reſpondẽs propoſito gradui, ho. 13. mi. 6. ſec. 21. ab illo igitur tempore ſubtraho primum tempus ad partem notatum, & relinquuntur horæ 12. min. 15. ſec. 29. poſt meridiem, quod eſt tempus prope verum elicitum, ad illud tempus ſupputo verum locum Solis, qui eſt 14. gr. 20. minu. ♈, quem quæro in linea decimæ domus, & è regione elicio tempus loco Solis reſpondens, horam 0. minu 52. ſec. 9. quod ſeruo ad partem, poſt ſubtraho illud tempus ad partem ſeruatum à tempore gradui propoſito reſpondenti prius inuento, & habebitur verum & præciſum tempus, quo gradus propoſitus oriatur, hora videlicet 12. mi. 14. ſec. 12. poſt meridiem, quod fuit propoſitum.

PROPOSITIO VII.

Propoſito gradu vel gradu & minuto alicuius ſigni qua hora occidat, inueſtigare.

IN hac propoſitione procedendum eſt eodem omninò modo, ſicut in præcedenti, niſi quòd pro gradu propoſito accipiendus eſt gradus & ſignum oppoſitum, & eiuſdem gr. quærendum tempus ortus, & tale oſtendit tempus, quo gradus propoſitus occidat. Exemplum. Sit propoſitus gra. 19. mi. 18. ♊, volo inueſtigare qua hora ac mi. occidat die 24. Martij anno 1548. Locus Solis meridianus eſt 13 gr. 50. mi. tempus illi reſpondens hor. 0. mi. 50. ſec. 52. deinde accipio oppoſitum ſignum & gra. Geminis, & eſt Sagittarius, quæro igitur per præcedentem, qua hora oriatur 19 gr. 18. mi. ♑, & inuenio inprimis tempus ortus prope verum, per illud deinde etiam verum tempus occaſus ſcilicet hor. 12. mi. 14. ſec. 12.

Pro-

PROPOSITIO VIII.

Proposito gradu vel gradu & minuto alicuius signi, qua hora transeat per cœli mediũ, id est, per circulum meridianũ supra terram, indagare.

IN hac, vt in sexta aut 7. inprimis est accipiendus locus Solis meridianus ex Ephemeridibus, & in linea decimę quęrendus, & à sinistris tempus illi respondens eliciendum, ad partemq; seruandum, deinde gradus propositus quoque in linea decimæ domus quæratur, & tempus illi respondens, à quo subtrahe tempus prius ad partem seruatũ, & relinquetur tempus prope verũ, quo gra. propositus circulũ meridianum supra terram transeat: si præcisum habere volueris, supputa locũ Solis ad tempus prope verũ, deinde reitera laborem, & habebis præcisum tempus.

Exemplum. Sit propositus gradus 18. ♎, volo scire, quo tempore transeat per cœli medium die 24. Martij anno 1548. Locus Solis in meridie est 13. gr. 50. mi. ♈, qui quæsitus in linea decimæ, inuenio tempus ei respondens hor. 0. mi. 50. sec. 52. quod seruo ad partem, deinde quæro etiam gradum propositum in linea decimæ domus, & elicio tempus ei respondens ho. 13. mi. 5. sec. 21. à quo tempore subtraho tempus prius ad partem seruatum, & relinquitur tempus prope verum, quo gradus propositus per cœli medium transeat, deinde quæro verum locum Solis ad tempus prope verum, & est 14. gr. 20. minu. ♈, cui respondet tempus à sinistris hora 0. mi. 52. sec. 9. à quo subtraho tempus prius ad partem seruatum, & habebitur hora 12. mi. 14. sec. 12. post meridiem, quo gradus propositus transeat per cœli medium.

PROPOSITIO IX.

Proposito gradu alicuius signi, qua hora cuspidem domus cuiuspiam propositæ possideat, explorare.

HÆc propositio comprehendit 6. 7. & 8. proposit. tamen pro clariori intellectu quęlibet seorsum est descripta: quære itaque verum locum Solis meridianum, & eum tandem in co-

lumnula decimæ domus, vt eliciatur tempus sibi à sinistris respondens, quod seruetur ad partem, deinde gradum propositum quære in columnula domus propositæ, si est expressa in tabula domorum: si non, accipe domum eius oppositam, ac signum & gradus oppositos, & elice tempus illi respondens, à quo subtrahe tempus prius ad partem seruatum, & habebis tempus prope verum, deinde ad tale tempus verus Solis locus quæratur, & tempus, quod ei respondet in linea decimæ domus, iterum subtrahatur à tempore prius inuento, quod respondet gradui & minuto proposito, & habebis verum tempus, quo gradus propositus cuspidem domus propositæ possidet, & per consequens totam figuram cœli habere poteris.

Exemplum. Sit gradus propositus 28. mi. 29. ♏, volo scire, qua hora ac minuto domũ duodecimam possideat die 24. Martij, locus Solis meridianus est 13. gr. 50. mi. ♈, quem quæro in columnula decimæ domus, & elicio tempus illi respondens horam 0. mi. 50. sec. 52. quod seruo ad partem, deinde quæro signum & gradũ propositũ in columna duodecimæ domus, & inuenio præcisè 28. gra. 29. min. ♏, & è regione inuenio tempus ho. 13. m. 6. se. 21. à quo subtrahatur tempus prius ad partem seruatum, & relinquitur tempus prope verum horarum 12. minut. 15. sec. 29. post meridiem, ad illud tempus quæro verũ locum Solis, & est 14. gr. 20. mi. Arietis, quem locum Solis quęro iterum in columna decimæ domus, & tempus illi respondens est ho. 0. mi. 52. sec. 9. illud tempus subtraho à tempore proposito gradui respondenti, & remanent horæ 12. min. 14. sec. 12. post meridiem, tempus videlicet quo propositus gradus cuspidem duodecimæ domus possidet.

Si propositus fuisset 28. gr. 29. mi. ♉, quo tempore transiret per cuspidem sextæ domus, quia domus sexta non est expressa in tabula domorum, accipio signum & gr. domus oppositæ, scilicet duodecimam, & procedo vt prius, & inuenio tempus vt prius.

PROPOSITIO X.

Proposito tempore quocunque quod signum & quotus gradus illius oriatur, per consequens etiam quatuor angulos mundi, in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. & 43. gr. 53. mi. ex tabula domorum elicere.

In

IN hac propositione inprimis est procedendum, quemadmodum docet 2. proposit. si pro hora meridiei quæritur gradus ortus: aut vt docet 3. propositio, si ad tempus pomeridianum, quodcunque illorum temporũ habueris, quære in columna temporis, & vbi tale inueneris, habes gradum medij cœli vel domus decimæ in columna decimę domus pro domo vndecima vel duodecima, huic tempori, quod gradum decimæ ostendit, adde pro domo vndecima 4. horas, & quære aggregatum, abiectis 24. si excedit numerũ 24. & vbi tale repertum fuerit, è regione in columnula vndecimæ domus offertur gradus, aut gr. & minu. qui oritur in eleuatione poli gr. 29. 2. mi. qualis est eleuatio poli supra circulum positionis vndecimæ domus. Si verò ex tempore quod ostendit gradum medij cœli, dempseris 4. horas, vbi residuum inueneris in columna temporis, è regione in columnula tertiæ domus eundem gradum reperies, quòd ea domus eandem habet poli eleuationẽ. Cognito itaq; gradu medij cœli vel decimæ domus, notum est signum & gradus eiusdem imi cœli vel quartæ domus: cognito præterea gradu ascendentis vel primæ domus, notus erit gradus occidentis, & sic quod signum & qui gradus possideat quatuor angulos mundi in proposita poli eleuatione notum erit.

Signum aũt & gr. quod oriatur in eleuatione poli duodecimę domus, cuius eleuatio poli est 43. gr. 53. mi. si scire volueris, debes addere tempori, quod gradum medij cœli ostendit, duas horas, & vbi tale aggregatum temporis inueneris, è regione in columnula duodecimæ domus reperies gradum & minu. qui oritur proposito tempore in eleuatione poli duodecimæ domus, & sunt ferè 44. gra. poli.

Idem inuenies in columna secundæ domus, quòd eandem cum duodecima habet poli eleuationem, si subtraxeris ex tempore, quod gradum medij cœli ostendit, duas horas, è regione residui temporis, vbi repertum fuerit in columnula secundæ domus inuenies eundem gradum, quem in columnula duodecimæ inuenisti.

Exemplum. Sit propositum tempus hora meridiei, die 16. Martij anno 1548. volo scire quis gradus oriatur in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. quæ est eleuatio poli vndecimæ domus, & in eleuatione poli 43. gr. 53. mi. quæ est eleuatio poli duodecimæ domus in latitudine regionis 48. graduum, accipio itaque gradum Solis meridianum, 6. gr. ♍, quem quæro in columnula decimæ domus, & elicio tempus illi respondens 0. hor. 21. mi.

59. sec. illud tempus ostendit gradum medij cœli pro tempore proposito, huic tempori addo 4. horas, & aggregatum est ho. 4. mi. 21. sec. 59. quod quero in columna temporis, quod tẽpus cũ non præcisè reperio, accipio proximè minus, s. hor. 4. mi. 20. sec. 38. & è regione inuenio in columna 11. domus 16. grad. 58. mi. ♋, quæro itaque partem proportionalem, vt in 2. & 3. proposit. dictum est, & inuenio pro parte proportionali 17. mi. 28. sec. qnæ addo ad gra. & mi. vndecimæ domus, & resultant 17. gr. 15. mi. 28. sec ♋, qui oritur pro tempore proposito in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. Si subtraxero 4. hor. ex tempore, quod gradum medij cœli ostendit, relinquũtur horæ 20. mi. 21. sec. 59. quod tempus quæro in columna temporis, & non præcisè reperio, accipio tempus proximè minus, scilicet horas 20. mi 21. se. 13. huic tempori respondet in columna tertiæ domus, quæ eandem habet poli eleuationem cum vndecima domo, 17. gr. 6. mi. ♋, quæro partem proportionalem, & inuenio 10. mi. quæ addo ad gr. & mi. tertiæ domus, scilicet 17. gra. 6. minu. & erunt 17. gr. 16. mi. vt in 11. domo inuentum est.

Si verò volo habere gradum, qui oritur pro tempore proposito meridiano in eleuatione poli 43. gr. 53. mi. tunc addo tempori, quod ostendit gr. medij cœli, s. 0. ho. 21. mi. 59. sec. duas horas, & erit aggregatum horæ 2. mi. 21. sec. 59. id tempus quero in columna temporis, sed non præcisè reperio, accipio tempus proximè minus, scilicet hor. 2. min. 18. sec. 35. & è regione in columnula duodecimæ domus offertur 24. gr. 39. mi. ♋, quero partem proportionalem, vt in 2. & 3. proposit. dictum est, & inuenio pro parte proportionali 28. min. addenda ad gradus & minuta duodecimæ domus, & erũt 25. gr. 7. mi. ♋, qui oriuntur in eleuatione poli 43. gr. 53. minu. pro tempore proposito, meridiano videlicet.

Aliud exemplum, vbi tempus propositum est pomeridianum. Sit igitur tempus pomeridianum hora 4. mi. 3. sec. 22. post meridiem, volo scire, quod signum & gradus sit ascendens in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. & in eleuatione poli 43. gr. 53. mi. quæro inprimis verum Solis locum ad tempus pomeridianum propositum, scilicet ad hor. 4. minu. 3. sec. 22. & est 14. gr. Arietis, tempus huic gradui Solis respondens est hora 0. mi. 51. sec. 29. cui addo, vt docet propositio 3. tempus pomeridianum propositum, & aggregatum est ho. 4. mi. 54. sec. 51. quod quæro in columna temporis, & è regione in columnula decimæ domus reperio gr. medij cœli, 15. videlicet gradum Geminorum, quem seruo ad partem, huic tempori, quod gradum decimæ domus osten-

dit,

dit,addo 4. horas,& aggregatũ erit 8. hor. 54. mi. 51. sec. quod tempus quęro in columna temporis,sed non præcisè reperio,accipio proximè minus, horas 8. minu. 53. secund. 52. è regione in columnula vndecimæ domus reperio 15. gr. 30. mi. ♍, quæro itaque partem proportionalem,& est 13. min. quæ addo ad gr. & mi. vndecimæ domus,& erunt 15. gr. 43. mi. ♍, ascendens videlicet in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. pro tempore proposito.

Idem reperio in columnula tertiæ domus, quæ eandem habet eleuationem polarem cum vndecima domo,si subtraxero 4. ho. à tempore, quod ostendit gradum medij cœli, quod est hor. 4. mi. 54. sec. 51, & remanet hora 0. mi. 54. sec. 51, quod tempus quæro in columna temporis, sed non præcisè reperio, accipio proximè minus,scilicet ho. 0. mi. 51. sec. 29. & è regione in columnula tertiæ domus reperio 14. gr. 58. mi. quęro partem proportionalem, & inuenio 44. mi. pro parte proportionali, quæ addo ad gra. & mi. in columnula tertiæ domus reperta, & inuenio 15. gr. 42. mi. ♍, discrepat tamen in vno minuto, quod pro nihilo computatur.

Si verò volo habere ascendens pro tempore proposito pomeridiano,scilicet ho. 4. mi. 3. sec. 22. in eleuatione poli 43. gr. 52. mi. Locus Solis pro tempore proposito est 14. gra. Arietis, cui in columnula temporis respondet hora 0. minu. 51. sec. 29. cui addo tempus pomeridianum propositum, & aggregatum est ho. 4. mi. 54. sec. 51. quod quæro in columna temporis, & è regione in columnula decimæ domus offertur gr. medij cœli, 15. videlicet gradus Geminorum, quem seruo ad patem, huic tempori,quod gradum medij cœli ostendit, addo duas horas, & aggrego 6. horas mi. 54. sec. 51. quod tempus quæro in columna temporis, & non præcisè reperio, accipio proximè minus, s. horas 6. mi. 52. sec. 12. & è regione offertur gra. in columnula duodecimæ domus, 16. gra. 58. mi. ♍, quæro partem proportionalem,& inuenio 31. mi. quæ addo ad gra. & mi. in duodecima domo reperta,scilicet ad 16. gra. & 58. minu. erunt 17. gr. 29. mi. ♍, ascendens pro tempore proposito in eleuatione poli 43. gr. 53. minutorum.

Idem inuenio per columnulam secundæ domus, quæ eandem cum duodecima domo habet poli eleuationem, subtraho enim à tempore,quod ostendit gra. medij cœli, scilicet ab horis 4. minutis 54. sec. 51. duas horas,residuum est 2. hor. 54. mi. sec. 51. quod quæro in columna temporis,sed non præcisè reperio, accipio proximè minus,scilicet horas 2. mi. 54. sec. 4. & è regio-

ne offertur gradus 17. mi. 20. ♍, quæro partem proportionalem, & inuenio 9. minuta, quæ addo ad 17. gr. 20. mi. ♍, productum erit 17. gra. 29. mi. ♍, idem videlicet cum eo ascendente, quod repertum est per duodecimam domum, orituritaque tempore proposito, scilicet hora 4. min. 3. sec. 22. diei 24. in eleuatione poli 43. gr. 53. mi. 17. gr. 29. mi. ♍, quod fuit intentum.

Habeo itaque quatuor angulos mundi pro tempore proposito in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. in medio cœli est 15. grad. Geminorum, in 4. domo 15. gr. Sagittarij, in ascendente 15. gr. 43. mi. Virginis, in occasu 15. gr. 43. mi. Piscium.

Similiter etiam patent quatuor anguli mundi in eleuatione poli 43 gr. 53. mi. in medio cœli est 15. gr. Geminorum, in imo cœli 15. gra. Sagittarij, in ascendente 17. gr. 29. mi. Virginis, in occasu 17. gr. 29. mi. Piscium.

Erunt ergo quatuor anguli mundi noti in tribus eleuationibus poli, & in eleuatione poli pro latitudine regionis, pro qua tabula domorum est composita, initia omnium domorum sunt nota, & hoc ad præcisionem, prope verum autem possumus etiam scire quatuor angulos mundi pro eleuationibus proximè minoribus & proximè maioribus: vndecima ita domus potest seruire pro 28. & 30. eleuatione poli, duodecima pro 43. & 45. eleuatione, prima domus pro 47. & 49. & sic hæc vnica tabula potest seruire pro 9. poli eleuationibus, quo ad 4. angulos mundi dinoscendos, & is vsus tabularum domorum hactenus paucis fuit notus.

PROPOSITIO XI.

Proposito gradu Zodiaci quocunque, qua hora oriatur in eleuatione poli vndecimæ vel 12. domus, scisciitari.

ACcipiatur inprimis verus Solis locus meridianus, & quæratur in columnula decimæ domus, & elice tempus illi respondens, quod serua ad partem, deinde quære gradum propositum in columnula vndecimæ vel duodecimæ, in cuius poli eleuatione tempus ortus desideras, & quære etiam tempus eidem gradui respondens, quo habito, subtrahe ab eo quatuor horas, residuum serua ad partem, à quo deinde subtrahe tempus gradui Solis respondens, & tempus remanens ostendit qua hora ac minuto in proposita poli eleuatione oriatur.

Exem-

Exemplum. Sit gradus Zodiaci propositus 17. gr. 15. minu. 28. sec. ♋, volo scire, qua hora oriatur in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. quæ est vndecimæ domus, die 16. Martij anno 1548. Locus Solis meridianus est 6. gr. ♈, tempus illi respondens ho. 0. mi. 21. sec. 59. quod tempus seruo ad partem, deinde quæro gr. propositum in columnula vndecimæ domus, & è regione reperio tempus horarũ 4. mi. 21. sec. 59. abijcio horas 4. residuum est hora 0. mi. 21. sec. 59. à quo subtraho tempus Solis prius ad partem seruatum, & remanet 0. in horis, 0. in minutis, 0. in secundis, ergo propositus gradus oritur directè hora meridiei.

Si verò ex columnula tertiæ domus propositum habere volueris, quære, vt prius, tempus respondens gradui Solis & tempus quod respondet proposito gradui, cui tempori adde 4. horas, à producto subtrahe tempus Solis, & habebis idem tempus, quod prius inuenisti, meridiem videlicet.

Si autem velim scire, qua hora oriatur gradus propositus, scilicet 17. gr. 15. mi. 28. sec. ♋, in eleuatione poli 43. gr. 53. mi. duodecimæ videlicet domus, habeo in præcedenti exemplo gradum Solis & tempus ei respondens, scilicet horam 0. minu. 21. sec. 59. quod seruo ad partem, deinde quæro gradum propositum in columnula duodecimæ domus, & è regione inuenio tempus, hor. 1. minu. 41. sec. 29. ab illo subtraho horas duas, remanent 23. horæ 41. minu. 29. sec. ad illud tempus est locus Solis rectificandus pro die 16. & est locus Solis 5. grad. 59. ferè minutorum, tempus illi respondens est ferè hora 0. mi. 21. sec. 55. id tempus subtraho à 23. horis, 41. minu. 29. sec. remanent horæ 23. minu. 19. secund. 34. tempus verum, quo oritur gradus propositus.

Idem tempus reperies per columnulam secundæ domus, si tempori gradui proposito respondenti duas horas addideris, & à producto tempus Solis subtraxeris.

PROPOSITIO XII.

Qua hora ac minuto Sol oriatur, per tabulam domorum inuestigare.

ACcipe ex Ephemeridibus verũ locum Solis ad horam meridiei, quem quære in linea decimæ domus, & tempus à sini-

stris

ſtris vero loco Solis reſpondens ſerua ad partē, deinde eundem locum Solis quære in linea primæ domus, & tempus à ſiniſtris vero loco Solis reſpondens etiam ſerua ad partē, pòſt ſubtrahe tempus primò ad partē ſeruatū à tempore ſecūdò inuento, & reſiduum oſtendit tempus ortus Solis, ſi ſubtractio fieri non poſſet, accommodentur 24. horæ, & pòſt fiat ſubtractio, & habebis propoſitum. Cùm autem verus motus Solis eo oriente minor ſit quàm motus meridianus eiuſdem diei, non erit tempus ortus omninò præciſum, ob id quæratur verus motus Solis ad tempus ortus iam repertum, & iterum quære in columnula decimæ domus, & tempus illi reſpondens, quod ſerua ad partem, deinceps iterum quærendus eſt locus Solis ſecundò ſupputatus in linea primæ domus, & tempus illi reſpondens eliciendum, pòſt fiat ſubtractio temporis ſecundò ad partem ſeruati, à tempore iam inuento, & habebis tempus præciſum in horis & mi. ortus Solis.

Exemplum. Volo ſcire tempus ortus Solis die vltima Martij anno 1548. quæro locum Solis ex Ephemeridibus ad horam diei duodecimam, qui eſt 20. gra. 40. mi. ♈, illum locum Solis quæro in linea decimæ domus, cui per doctrinam 3. huius, reſpondet tempus à ſiniſtris hora 1. mi. 15. ſec. 51. quod ſeruo ad partem, deinde quæro eundem locū Solis, ſcilicet 20. gr. 40. mi. in columna primæ domus, & elicio tempus illi reſpondens horas 18. mi. 39. ſec. 58. ab illo tempore ſubtraho tempus Solis ad partem ſeruatum, & relinquūtur horæ 17. mi. 24. ſec. 7. ad illud tempus ſupputo pro eadem die, ſcilicet vltima martij, verū Solis locum, & eſt 20. gr. 24. mi. ♈, tempus huic loco Solis reſpondens eſt hora 1. mi. 15. ſec. 18. & eundem locum Solis quæro iterum in prima domo, & tempus illi reſpondens eſt 18. hor. 39. min. 26. ſec. à quo ſubtraho tempus pro ſecundo loco Solis repertum, ſcilicet hor. 1. mi. 15. ſec. 18. & remanent hor. 17. mi. 24. ſec. 8. verum tempus ortus Solis die vltima Martij.

Item volo ſcire, qua hora Sol oriatur in eleuatione poli 29. g. 2. mi. die vltima Martij anno 1548. quæro locum Solis in columnula decimæ domus, & tempus illi reſpondens, quod ad partem ſeruetur, deinde quæratur locus Solis in columnula vndecimæ domus, & eliciatur tempus illi reſpondens, ab illo tempore abijcio quatuor horas, & à reſiduo ſubtraho tempus ad partem ſeruatum, relinquitur tempus ortus Solis in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. non tamen præciſum, ob id ſupputetur verus locus Solis ad tempus iam prope verum inuentum, & reiteretur labor, vt iam pro tempore prope verū factum eſt, & habebis præciſum tempus.

Exemplum.

Exemplum. Locus Solis est 20. gr. 40. mi. tempus ei respondens hora 1. mi. 15. sec. 51. quod seruo ad partem, deinde quæro locum Solis in columnula vndecimæ domus, & è regione reperio tempus hor. 22. mi. 58. sec. 13. à quo subtraho 4. horas, & remanent 18. hor. 58. mi. 13. sec. ab hoc tempore subtraho tempus prius ad partem seruatum, & relinquũtur ho. 17. mi. 42. sec. 22. tempus ortus prope verum, ad hoc igitur tempus supputo verum locum Solis, qui est 20. gr. 24. mi. Arietis, illum locum Solis iterum quæro in columnula decimæ domus, & elicio tempus ei respondẽs hor. 1. mi. 15. sec. 18. quod seruo ad partem, deinde eundem locum Solis quæro in columnula vndecimæ domus, & elicio tempus ei respondens 22. horas, 57. mi. 27. sec. à quo inprimis subtraho 4. horas, & relinquuntur horæ 18. mi. 57. sec. 27. ab illo tempore deinde subtraho tempus ad partem seruatum, scilicet horam 1. mi. 15. sec. 18. & habebo verum & præcisum tempus ortus Solis hor. 17. mi. 42. sec. 9.

Idem inuenies per columnulam tertiæ domus, eodem modo procedendo, vt de vndecima domo dictum est, hoc solum considerandum, quòd 4. horæ, quæ subtrahebantur in vndecima domo, in tertia sunt addendæ.

Si vis scire ortum Solis in eleuatione polari 43. gr. 53. minut. procedendum erit cum duodecima domo, vt de vndecima dictũ est, hoc tamen attento, vbi in vndecima domo subtrahebantur 4. horæ, in duodecima tantùm duæ horæ sunt subtrahendæ, & si per secundam columnulam laborare volueris, oportet duas horas addere, vbi prius subtraxisti.

PROPOSITIO XIII.

Qua hora occidat Sol, per tabulas domorum patefacere.

ACcipiatur inprimis motus Solis meridianus, qui quæratur in columnula decimæ domus, & eliciatur tempus ei respondens, idq; ad partem seruetur, vt de ortu dictum est, deinde accipiatur idem gradus signi tamen oppositi, & quæratur tempus ortus, quemadmodum in præcedenti propositione docuimus, & quo tempore gradus oppositus oritur, eodem momento occidit locus verus Solis.

Exemplum. Volo scire qua hora occidat Sol vltima die mensis Martij, quæro locum Solis meridianum, qui est 20. gr. 40. mi.

Arietis, in columnula decimæ domus, & elicio tempus illi respondens, hor. 1. mi. 15. sec. 51. quod seruo ad partem, deinde accipio gradum & signum oppositum, scilicet 20. gr. 40. mi. ♎, & quæro in columnula primæ domus, & elicio tempus illi opposito loco respondens, hor. 7. mi. 52. sec. 39. ab hoc tempore subtraho tempus ad partem seruatum, residuum est hor. 6. mi. 37. sec. 48. tempus prope verum, qua videlicet hora occidat Sol: pro tempore autem præciso supputo verum Solis locum ad tempus prope verum, qui est 20. gra. 56. mi. ♍, quem quæro in columnula decimæ domus, & elicio tempus ei respondens, hor. 1. mi. 17. sec. 18. quæ seruo ad partem, deinde quæro oppositum gradum in columnula primæ domus, & elicio tempus illi respondens hor. 7. mi. 54. sec. 7. ab illo tempore subtraho tempus ad partem seruatum, & habeo verum & præcisum tempus occasus Solis hor. 6. mi. 36. sec. 49.

Si volueris occasum Solis scire in eleuatione poli 29. gr. 2. m. & eleuatione poli 43. gra. 53. mi. procedendum est eodem modo, nisi quòd gradus oppositus signi oppositi quærendus est in columnula vndecimæ domus vel duodecimæ, & non obliuiscaris 4. horarum pro vndecima, & 2. pro duodecima, vt subtrahantur vel addantur 4. horæ pro tertia, & 2. pro secunda, si per eas placuerit quærere tempus occasus.

PROPOSITIO XIIII.

Quantitatem diei vel noctis per tabulas domorum inuenire.

QVære per præcedentes duas propositiones tempus ortus & occasus Solis secundum integrum horologium, & subtrahe tempus ortus à tempore occasus, accommodatis 24. horis, si subtractio fieri non potest, & residuum ostendit quantitatem diei: si subtraxeris tempus occasus Solis à tempore ortus secundum horologium integrum habes quantitatem noctis.

Exemplum. Volo scire quantitatem diei vltimi Martij, tempus ortus est 17. ho. 24. m. 8. sec. occasus verò ho. 6. mi. 36. se. 49. subtrahoitaq; tempus ortus à tempore occasus, remanent horæ 13. mi. 12. sec. 41. quantitas diei: si fit econtrà, & subtrahitur tempus occasus à tempore ortus, remanent 10. ho. 47. mi. 19. se. quantitas noctis: si quantitas diei & noctis simul addantur, faciunt præcisè 24. horas.

Si

Si tempus ortus propositum fuerit secundum horologium dimidium, addantur 12. horæ, & habebis tempus ortus secundum integrum horologium, cum quo procede vt iam dictum est: aut subtrahe tempus ortus secundũ horologium dimidiũ à 12. & residuũ ostendit occasus ⊙ tempus, quod duplica, & habebis quantitatem diei, quam subtrahe à 24. horis, habes quantitatẽ noctis.

Exemplum. Si tempus ortus esset hora 5. mi. 24. sec. 8. addo 12. horas, erunt 17. ho. 24. mi. 8. sec. tempus ortus secundũ integrũ horologiũ, si subtraxero tempus ortus secundũ horologiũ dimidium à 12. relinquitur tempus occasus hor. 6. mi. 35. se. 52. quod tempus minus est priore tempore occasus Solis, quia locus Solis non fuit rectificatus ad tempus prope verum occasus Solis, & per tale tempus occasus quæsitum: prouenissent enim horæ 6. mi. 36. sec. 49. quod tempus occasus Solis duplicatum præstat quantitatem diei, s. horas 13. mi. 13. se. 38. & illud tempus quantitatis diei non præcisè respondet priori tempori quantitatis diei, ratio est, quòd locus Solis tempore occasus maior est quàm tempore ortus, plus igitur temporis respondet: at in signis Zodiaci descendentibus minus tempus respondet.

Simili modo quoq; inuenies quantitatem diei & noctis in eleuatione poli 29. gra. 2. mi. & 43. gra. 53. mi. per domum 11. & 12. si prius per præcedentes propositiones tempus ortus & occasus Solis quæsieris, deinde procedendum erit quemadmodum hæc propositio à principio admonet.

PROPOSITIO XV.

Quantitatem semidiurnam ac seminocturnam elicere.

QVære tempus occasus per præcedentes proposit. & habebis quantitatem semidiurnam: si quęsieris tempus ortus, habes tempus seminocturnum. Si duplicaueris tempus semidiurnum, habebis totum tempus diurnum: si verò tempus seminocturnum duplicaueris, habebis totum tempus nocturnum. Exemplo hîc non opus est.

PROPOSITIO XVI.

Proposito tempore ac puncto quocunq; Zodiaci, quantus arcus Zodiaci in proposito tempore à puncto dato oriatur vel occidat.

QVære punctum datum Zodiaci in columnula primæ domus, & tempus è regione repertum extrà nota, huic tempori adde tempus tuum propositum, & aggregatum quære in columna temporis, vbi tale tempus inueneris, quære punctum Zodiaci eidem respondentem in columnula primæ domus, & habes finem arcus Zodiaci, à puncto dato Zodiaci numerando, qui in proposito tempore oriatur. Si vis scire quantus arcus occidat in proposito tempore, accipe punctum oppositum, & considera tempus ei respondens, & procede sicut prius dictum est, & habebis arcum Zodiaci, qui proposito tempore occidat.

Exemplum. Sit tempus propositum 2. hor. 41. mi. 44. sec. & punctus Zodiaci propositus sit principium Libræ, volo scire quantus arcus Zodiaci oriatur in proposito tempore, initiũ sumendo à principio Libræ, quæro itaque punctum Zodiaci propositum, scilicet principium Libræ, in columnula primæ domus, & elicio tempus ei respondens, scilicet horas 6. minu. 0. sec. 0. huic tempori addo tempus propositum, scilicet horas 2. mi. 41. sec. 44. & aggregatum est 8. hor. 41. min. 44. sec. illud tempus quæro in columna temporis, & considero in columnula primæ domus gradum & mi. respondentem, & inuenio 29. gr. 37. mi. Libræ. Arcus itaque Zodiaci à principio Libræ vsque ad 29. gr. 37. mi. eiusdem signi oritur in proposito tempore. Quantus verò arcus Zodiaci occidat in proposito tempore, si principium Libræ fuerit punctus Zodiaci datus, accipio punctum oppositum, scilicet principium Arietis, & elicio tempus illi respondens, & inuenio hor. 18. min. 0. sec. 0. cui tempori addo tempus propositum, scilicet ho. 2. mi. 41. sec. 44. & aggregatum est 20. ho. 41. mi. 44. sec. quod quæro in columna temporis, & è regione aggregati reperio 8. gr. 30. mi ♊, accipio signum oppositum, scilicet Sagittarium, & dico quòd in proposito tempore occidit arcus Zodiaci à principio Libræ vsque ad 8. grad. 30. minut. Sagittarij.

In eleuatione poli 29. gr. 2. mi. ac 43. gr. 53. mi. simili modo inuenies, quantus arcus Zodiaci oriatur in proposito tempore, si in vndecima vel duodecima quæsieris punctum Zodiaci datũ, & elicies tempus illi respondens, cui si addideris tempus tuum propositum, & vbi aggregatum temporis reperies, ostendet tibi finem arcus propositi, siue quæsieris in vndecima siue duodecima, aut in tertia aut secunda, hîc non opus est addere aut subtrahere pro vndecima 4. horas, aut pro duodecima duas horas.

Simili modo cum occasu tibi agendum erit, oppositum punctum Zodiaci accipiendo.

Propo-

PROPOSITIO XVII.

Dato ſigno quocunque Zodiaci, quanto tempore tale oriatur vel occidat, inueſtigare.

QVære principium ſigni propoſiti in columnula primæ domus, & elice tempus illi reſpondens, quod ſerua ad partem, deinde quære ſimili modo in columnula primæ domus finem arcus propoſiti, & ſimiliter tempus illi reſpondens elicias, pòſt ſubtrahe tempus principio ſigni reſpondens à tempore finis ſigni, & relictum oſtendit tempus, quanto tempore ſignum propoſitum oriatur. Si autem ſcire deſideras, quanto tempore propoſitum ſignum occidat, accipe principium ſigni oppoſiti, & quære tempus illi reſpondens, ſimili modo tempus pro fine oppoſiti, & ſubtrahe tempus principij à tempore finis ſigni, & relictũ oſtendit quanto tempore propoſitum ſignum occidat. Simili modo facias in eleuationibus vndecimæ ac duodecimæ domus.

Exemplum Sit ſignum propoſitum ♈, volo ſcire quanto tempore oriatur, quæro principium eius in columnula primæ domus, & inuenio horas 18. mi. 0. ſec. 0. ſimili modo quæro tempus fini Arietis reſpondens, & eſt 18. horæ, 59. mi. 21. ſec. ſubtraho tempus pro principio ſigni repertum à tempore pro fine inuentum, reſiduum eſt 59. min. 21. ſec. temporis, in tanto tempore oritur Aries in latitudine regionis 48. gr.

Si velim ſcire, quanto tempore ♈ ibidẽ occidat, accipio principium & finem ſigni oppoſiti, ſcilicet Libræ, & quæro tempora principio & fini reſpondentia, principio Libræ reſpondent horæ 6. mi. 0. ſec. 0. pro fine verò hor. 8. mi. 43. ſec. 51. ſubtraho tempus principij à tempore finis, relictum eſt hor. 2. minu. 43. ſec. 51. tempus ſcilicet quanto tempore Aries occidit in poli eleuatione 48. graduum.

Simili modo inuenire poteris, quanto tempore ſignum oriatur vel occidat in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. & 43. gr. 53. mi. per vndecimam & duodecimam domum, hîc non opus eſt addere vel minuere 4. pro vndecima domo, & 2. pro duodecima: hîc enim non quæritur tempus limitatum ante vel poſt meridiem, ſed indifferenter quæritur, quanto tempore oriatur vel occidat ſignum aliquod, ſiue ſit ante ſiue poſt meridiem quocunque tempore anni.

PROPOSITIO XVIII.

Dato arcu quocunq; siue magno siue paruo Zodiaci, quanto tempore talis oriatur vel occidat, inquirere.

NOn aliter est procedendum in hac propositione, quàm in priori docuimus, quòd quæratur tempus respondens pro principio ac fine arcus propositi, & deinde tempus principij à tempore finis subtrahatur, relictũ ostendit tempus, quanto videlicet arcus propositus oriatur. Si cum opposito arcu propositi arcus simili modo processeris, habebis tempus, quo propositus arcus occidit. Exemplo hîc non opus est, si practicam præcedentis propositionis benè intellexisti.

Ita quoq; procedendum erit in eleuatione poli 29. gra. 2. mi. & 43. gra. 53. mi. per 11. & 12. domum, & reperies in qualibet eleuatione, quanto tempore arcus propositus oriatur vel occidat.

PROPOSITIO XIX.

Proposito signo quocunq; Zodiaci, quanto tempore tale oriatur in sphæra recta, vel transeat cœli medium vel circulum meridianum, deprehendere.

QVære principium signi propositi in columnula decimæ domus, & tempus illi respondẽs extrà nota, simili modo quære finem signi in columnula decimæ domus, & tempus ei respondens extrà notabis, subtrahe itaque primum tempus extrà notatum à secundo tempore, quod fini signi respondet, & relictum ostendit tempus, quanto videlicet M. C. in sphæra recta, tanto etiam tempore transit per circulum meridianum in quocunque loco in sphæra recta vel obliqua.

Exemplum. Sit signum propositum ♈, volo scire quanto tempore M. C. in sphæra recta, vel transeat per cœli medium vel circulum meridianum, quęro principiũ signi ♈ in columnula decimæ domus, & illi respondet in tẽpore ho. o. mi. o. sec. o. deinde quæro eiusdem signi finem in eadem columnula decimæ domus, & in-

& inuenio tempus ei respondens hor. 1. mi. 51. sec. 35. subtraho igitur tempus principio signi respondens à tempore finis, & relictum est hora 1. mi. 51. sec. 35. dico igitur, quòd Aries oritur in sphæra recta in vna hora, 51. min. 31. sec.

Cùm autem ortus & occasus signorum in sphæra recta sunt æquales, erit igitur tempus occasus eiusdē signi Arietis, similiter hora 1. mi. 51. sec. 35. Simili modo potes quærere tempus, quo oriatur arcus propositus, quicunq; fuerit in sphæra recta.

Et nota, quanto tempore oriatur arcus quispiam in sphæra recta, tanto etiam tempore transit cœli medium vel circulum meridianum in quacunque regione vel loco proposito: hinc habitis temporibus signorum, quibus oriantur in sphæra recta, habentur etiam tempora, quibus cœli medium vel circulum meridianum transeant in quacunque regionis latitudine.

PROPOSITIO XX.

Ascensionem rectam signi vel arcus Zodiaci cuiuscunq; propositi, per tabulam domorum elicere.

QVære per præcedentem, quanto tempore tale signum vel arcus propositus oriatur in sphæra recta, aut per cœli medium transeat, tale tempus inuentum reduc in gradus Æquinoctialis, pro qualibet hora sumendo 15. gradus, & pro quibuslibet 4. minutis temporis vnum gradum, pro vno minuto temporis 15. minuta gradus, pro vno secundo temporis 15. sec. gradus, pro 4. secundis temporis vnum minutū gradus. Facilius autem & citius laborem hunc absolues per tabulas sequentes.

Exemplum. Per propositionem præcedentem scio, quòd ♈ in sphæra recta oritur in hora 1. mi. 51. sec. 35. volo scire ascensionem eius rectam. i. cum quot gradibus Æquinoctialis oriatur in sphæra recta, conuerto per tabulam sequentem horas, mi. & secunda in grad. mi. & secū. Æquinoctialis: intro inprimis cum hora 1. & è regione inuenio 15. gr. Æquinoctial. quos scribo ad partem, deinde intro cum mi. 51. & reperio 12. gr. 45. mi. quæ scribo ad priores gradus, pòst intro cū 35. sec. & reperio 8. mi. 45. sec. iuxta inferiorem denominationem, quæ quoq; scribo ad priores numeros, & addo simul, quæ eiusdem sunt denominationis, & producuntur gr. 27. mi. 53. sec. 45. tot etiam gra. mi. & sec. respondent descensioni rectæ, siue occasui signi ♈.

Tabula

Tabula conuertēdi horas in gradus Æquinoctialis.

Hor.	Gr.
1	15
2	30
3	45
4	60
5	75
6	90
7	105
8	120
9	135
10	150
11	165
12	180
13	195
14	210
15	225
16	240
17	255
18	270
19	285
20	300
21	315
22	330
23	345
24	360

Tabula conuertendi minuta horarum & secunda in gradus & minuta Æquinoctialis.

Minuta hor	Gr.	M.	Minuta hor	Gr.	M
1	0	15	31	7	45
2	0	30	32	8	0
3	0	45	33	8	15
4	1	0	34	8	30
5	1	15	35	8	45
6	1	30	36	9	0
7	1	45	37	9	15
8	2	0	38	9	30
9	2	15	39	9	45
10	2	30	40	10	0
11	2	45	41	10	15
12	3	0	42	10	30
13	3	15	43	10	45
14	3	30	44	11	0
15	3	45	45	11	15
16	4	0	46	11	30
17	4	15	47	11	45
18	4	30	48	12	0
19	4	45	49	12	15
20	5	0	50	12	30
21	5	15	51	12	45
22	5	30	52	13	0
23	5	45	53	13	15
24	6	0	54	13	30
25	6	15	55	13	45
26	6	30	56	14	0
27	6	45	57	14	15
28	7	0	58	14	30
29	7	15	59	14	45
30	7	30	60	15	0
secūd. horæ	mi.	sec.	secūd. horæ	mi.	sec.

Hæc tabula applicatur minutis & secundis, pro minutis ponitur denominatio superius, pro secundis inferius.

Pro-

PROPOSITIO XXI.

Aſcenſionem obliquam ſigni vel arcus Zodiaci cuiuſcunque propoſiti per tabulam domorum inueſtigare.

QVere per propoſit. 17. huius, quanto tempore ſignum vel arcus propoſitus oriatur in propoſita regionis latitudine, tale tempus repertum conuerte in gradus, mi. & ſec. Æquinoctialis, & habebis aſcenſionem obliquam ſigni vel arcus propoſiti.

Exemplum. Volo ſcire aſcenſionem obliquam ſigni Arietis in regione, vbi latitudo eſt 48. gr. inuenio itaque per propoſitionem 17. tempus ortus Arietis 59. mi. 21. ſec. quod per præcedentem propoſit. conuerto in gradus, mi. & ſec. Æquinoctialis, proueniunt gr. 14. mi. 50. ſec. 15.

Eodem modo procedendũ tibi erit in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. per 11. domum, & in eleuatione poli 43. gr. 53. mi. per 12. domum: tempus, quo oritur Aries in eleuatione poli 29. grad. 2. mi. eſt hora 1. mi. 25. ſec. 38. in grad. Æquinoctialis tempus conuerſum facit gra. 21. mi. 24. ſec. 30. in eleuatione verò poli 43. gr. 53. mi. Aries oritur in hora 1. min. 6. ſec. 25. quod tempus conuerſum in gradus, mi. & ſec. Æquinoctialis, facit gr. 16. mi. 36. aſcenſio obliqua Arietis in eleuatione poli 43. gr. 53. mi.

PROPOSITIO XXII.

Deſcenſionem obliquam ſigni vel arcus cuiuſcunque propoſiti reperire.

PEr propoſitionem 17. quære, quanto tempore ſignum aut arcus Zodiaci propoſitus occidat, tale igitur tempus occaſus ſi in gra. mi. & ſec. conuertas, habes deſcenſionem ſigni aut arcus propoſiti, id eſt, cum quot gradibus Æquinoctialis propoſitus arcus deſcendat aut occidat.

Exemplum. Volo ſcire deſcenſionem ſigni Arietis in eleuatione poli 48. gr. quæro per propoſitionem 17. ſigni oppoſiti tempus, quanto videlicet occidat, & reperio horas 2. mi. 43. ſec. 51. quod in gr. mi. & ſec. Æquinoctialis conuerſum inuenio gr. 40. mi. 57. ſec. 45. deſcenſionem ſigni Arietis.

In eleuatione poli 29. gra. 2. mi. occidit Aries in horis 2. mi. 17. secũd. 28. quod in gradus, minuta & secunda Æquinoctialis conuersum facit gr. 34. mi. 22. & est descensio signi Arietis in proposita poli eleuatione, quæ ex vndecima domo elici potest.

In eleuatione poli 43. gr. 53. mi. occidit Aries in duabus horis, 36. mi. 41. sec. id tempus conuersum in gradus facit gr. 39. mi. 10. sec. 15. descensio obliqua Arietis in proposita poli eleuatione, quæ per duodecimam domum deprehenditur.

De directionibus.

DIrigere, vt docet Ioannes de monte Regio problemate 25. tabularum suarum directionum, non est aliud, quàm mouere sphæram donec locus secundus traducitur ad situm primi: id autem tunc accidere Ptolemæus clarissimus asserit, quando locus secundus perducitur ad circulũ, in quo iacuit locus primus, aut econtrà, locus primus transfertur ad circulum, in quo ponebatur locus secundus. Circulum dico coincidentem meridiano & horizonti, in vtraq; eorũ communi sectione, quẽ superius circulum positionis appellare libuit. Locum autem primum voco eum, cuius notitia prior in mentem venit, aut quem dirigere iubeor: locus verò secundus est is, ad quem dirigitur primus. Locus primus plærunq; vocari solet significator, quòd alicuius rei habitudinem in cœlo repræsentat: locus autem secundus non iniuria promissor appellabitur, quòd futurum aliquod accidens siue bonum siue malum portendat. Significator itaque habet vicem subiecti recepturi aliquid à promissore in certo tempore, cuius quidem temporis quant tatem directio metiri solet, quemadmodum iudicibus placet.

Directio autem est motus primi mobilis, quo videlicet significator traducitur ad situm promissoris, aut econtrà: solet tamen vt plurimum accipi directio pro arcu Æquatoris, qui coascendit vel condescendit interuallo, quod est inter significatorẽ & promissorem respectu circuli positionis, in quo alter eorum iacet: vnde & dirigere tunc dicimur, quando eiusmodi arcum doctè numeramus. Duplicem autem directionem distinguere solent Astrologi, quarum vna quidem vocatur directio directa, in qua videlicet locus secundus. i. promissor intelligitur transferri ad situm primi. i. significatoris, dicitur etiam directio secundum signorum successionem: alia autem vocatur conuersa, aut contra successionem signorum, in qua locus primus intelligitur transferri

ferri ad locum secundum. Hac secunda directione vtuntur iudices pro parte fortunæ ac alijs partibus & pro Planetis retrogradis. Hactenus Ioannes de monte Regio in loco præallegato.

PROPOSITIO XXIII.

Significatore constituto in meridiano supra vel infra terram, quomodo dirigendus sit ad promissorem suum per tabulas domorum, ostendere.

IN proposito & in sequentibus loquimur de significatoribus ac promissoribus carentibus latitudine. Si igitur significator, id est, Planeta, stella fixa, aut ipse gradus medij cœli, fuerit in circulo meridiano supra vel infra terram, tunc quære locum vel gradum eius in columnula decimæ domus, & tempus illi respondens extrà nota, sic etiã quere locum promissoris, siue sit Planeta, stella fixa, aut radius quispiã, in eadem columnula 10. domus, & quære tempus ei respondẽs, quod etiam extrà nota, deinde subtrahe tempus loco significatoris respondens à tempore, quod loco promissoris respondebat, & relictũ in gradus Æquinoctialis conuerte per propositionem 20. huius partis, & numera pro quolibet gradu Æquinoctialis annũ 1. pro 30. mi. dimidiũ annũ, pro 15. mi. gr. quartam anni partem siue Angariam, pro 5. mi. gr. vnũ mensem, pro 1. mi. gr. 6. dies, pro 10. sec. diem vnũ: id etiã per annexam tabulam elicere potes, & habebis tempus, quo completur talis directio, quando accidẽs illud, quod promiserat promissor, effectũ suum sortietur.

Gr.	Mi.	Sec.	An.	Mes.	Di.
0	0	10	0	0	1
0	0	20	0	0	2
0	0	30	0	0	3
0	0	40	0	0	4
0	0	50	0	0	5
0	1	0	0	0	6
0	2	0	0	0	12
0	3	0	0	0	18
0	4	0	0	0	24
0	5	0	0	0	30
0	5	0	0	1	0
0	10	0	0	2	0
0	15	0	0	3	0
0	20	0	0	4	0
0	25	0	0	5	9
0	30	0	0	6	0
0	35	0	0	7	0
0	40	0	0	8	0
0	45	0	0	9	0
0	50	0	0	10	0
0	55	0	0	11	0
1	0	0	1	0	0

Vel tempus in horis, minutis & ſecundis per ſequentem tabulam in annos & menſes conuerte, & idem tempus directionis, quo accidens promiſſoris venturum ſit, elicies.

Tabula conuertēdi horas in annos.

Hor.	Anni.
1	15
2	30
3	45
4	60
5	75
6	90
7	105
8	120
9	135
10	150
11	165
12	180
13	195
14	210
15	225
16	240
17	255
18	270
19	285
20	300
21	315
22	330
23	345
24	360

Tabula conuertendi minuta horæ in annos & menſes.

Minuta hor	Anni	Mēſ.	Minuta hor	Anni	Mēſ.
1	0	3	31	7	9
2	0	6	32	8	0
3	0	9	33	8	3
4	1	0	34	8	6
5	1	3	35	8	9
6	1	6	36	9	0
7	1	9	37	9	3
8	2	0	38	9	6
9	2	3	39	9	9
10	2	6	40	10	0
11	2	9	41	10	3
12	3	0	42	10	6
13	3	3	43	10	9
14	3	6	44	11	0
15	3	9	45	11	3
16	4	0	46	11	6
17	4	3	47	11	9
18	4	6	48	12	0
19	4	9	49	12	3
20	5	0	50	12	6
21	5	3	51	12	9
22	5	6	52	13	0
23	5	9	53	13	3
24	6	0	54	13	6
25	6	3	55	13	9
26	6	6	56	14	0
27	6	9	57	14	3
28	7	0	58	14	6
29	7	3	59	14	9
30	7	6	60	15	0

Si

Si significator fuerit in circulo meridiano sub terra, accipe loca opposita, & quære tempora significatoris & promissoris, & simili modo agendum erit ac si essent in circulo meridiano, vel si eadem loca significatoris & promissoris sumpseris, idem proueniet, cùm signa opposita in sphæra recta habent æquales ascensiones.

Exemplum. Sit significator in 6. gr. ♈ in cuspide decimæ domus existente, & promissor sit in principio ♉, volo scire, post quot annos significator veniat via directionis ad locum promissoris, intro igitur in tabulam domorum, & quæro locum significatoris, scilicet 6. grad. ♈ in columnula decimæ domus, & elicio tempus illi respondens ho. 0. mi. 21. sec. 59. deinde quero etiam in eadem columnula decimæ domus locum promissoris, scilicet principium Tauri, & etiam elicio tempus ei respondens hor. 1. mi. 51. sec. 35. pòst subtraho tempus significatoris à tempore promissoris, & relictum est ho. 0. minu. 29. sec. 36. si conuerto hoc tempus in gradus Æquinoctialis & minuta, inuenio grad. 7. mi. 24. quæ est directio significatoris ad promissorem, quæ facit annos 7. menses ferè 5. quia 60. min. gradus faciunt 365. dies, 24. mi. faciunt 146. dies, qui faciunt ferè 5. menses: sic per tabulam etiam elicere possum, 29. mi. temporis faciunt 7. annos & 3. menses, & 60. sec. faciunt menses tres, 36. sec. faciunt 1. mensem & 26. dies, ferè duos menses, erunt igitur etiam per tabulam 5. ferè menses.

PROPOSITIO XXIIII.

Significatore ascendens vel primam domum possidente, quomodo dirigendus sit ad promissorem suũ per tabulas domorũ deducere.

ACcipe inprimis locum significatoris, & quere eundem in columnula primæ domus, tempusque illi loco respondens extra scribe, simili modo quere locum promissoris in eadem columnula primæ domus, & tempus illi respondens quoque extrà nota, deinde subtrahe tempus significatoris à tempore, quod è regione loci promissoris inuentum fuit, accommodato integro circulo, si subtractio fieri nequit, & relinquetur tempus in horis, minutis & secundis, vel in min. & secundis tantùm, quod intercipitur inter locũ significatoris & locũ promissoris, quod si conuertas in gradus & minuta Æquinoctialis per 20. propositio-

nem, elicies, vt præcedens propositio docuit, post quot annos promissum per promissorem accidet: vel potes id elicere per tabulam præcedentē, & simili modo scies, post quot annos accidens promissoris futurum sit.

Exemplum. Sit in aliqua genitura principium Arietis ascendens in latitudine regionis 48. gr. & sit significator, locus autem promissoris sit in 10. gr. 14. mi. Tauri, volo scire, in quot annis via directionis veniat significator ad locum promissoris, quæro locum significatoris, scilicet principium Arietis, in columnula primæ domus, & elicio tempus ei respondens, 18. gr. 0. mi. 0. se. quod seruo ad partem, similiter in eadem domo quæro locū promissoris, scilicet 10. gra. 14. mi. ♉, & è regione tempus respondens, hor. 19. min. 22. sec. 19. & illud tempus quoque scribo ad partem, subtraho igitur tempus significatoris scilicet 18. horas, 0. mi. 0. sec. à tempore promissoris scilicet 19. ho. 22. mi. 19. se. residuum est hora 1. mi. 22. sec. 19. quod tempus in gra. mi. & sec. Æquinoctialis per 20. prop. conuerto, & proueniunt 20. gr. 34. mi. 45. sec. & faciunt annos 20. menses 6. dies 28.

Vel poteris per præcedentem tabulam residuum in tempore in annos & menses conuertere, vna hora facit 15. annos, 22. minuta horæ faciunt 5. annos & 6. menses, 19. secund. faciunt 28. dies cum dimidio, si essent 20. sec. facerent præcisè vnum mensem.

PROPOSITIO XXV.

Modum dirigendi significatores cuspides domorum in medietate cœli ascendente, vndecimæ videlicet, duodecimæ, secundæ aut tertiæ occupantes, ostendere.

SIcut docuimus, cùm significator quispiā ascendens vel cuspidem primæ domus occupauerit, quomodo sit dirigendus, nempe quòd loca significatoris & promissoris quærantur in columnula primæ domus, ita quoque agendum erit cum significatoribus & promissoribus cum alterius domus cuspidem tenuerint, quòd loca significatoris & promissoris in columnula eiusdem domus quærantur, & tempora illis respondentia eliciantur, subtractoque tempore significatoris à tempore promissoris, & relictum tempus in gradus Æquinoctialis conuersum, vel in annos & menses per tabulam 23. propositionis, ostendit per quot annos compleatur talis directio.

Exemplum.

Exemplum. Sit significator quispiam in cuspide vndecimæ domus in 18. gr. 58. mi. ♉, & promissor sit in 25. gr. 13. mi. ♋, quæro 18. gr. 58. mi. Tauri in columnula vndecimæ domus, & reperio tempus illi respondens hor. 0. mi. 25. sec. 39. quod seruo ad partem, similiter quæro locũ promissoris, 25. videlicet gr. 13. mi. Cancri, & inuenio tempus respondens hor. 4. minu. 59. sec. 10. subtraho itaque tempus significatoris à tempore promissoris, & relictum est ho. 4. mi. 33. sec. 31. quod tempus in annos conuersum facit 68. annos, 4. menses, dies 16. & dimidium.

Si idem significator esset in cuspide duodecimæ domus, quæro loca significatoris & promissoris in columnula duodecimæ domus, & elicio tempus significatori respondens ho. 21. mi. 55. sec. 24. tempus verò promissori respondens hor. 2. minu. 21. sec. 28. cùm subtrahitur tempus significatoris à tempore promissoris, remanent horæ 4. mi. 26. sec. 4. quod tempus facit annos 66. menses 6. dies 6.

Si idem significator esset in cuspide secundæ domus, quero loca significatoris & promissoris in columnula secundæ domus, & reperio tempus significatori respondens ho. 17. mi. 55. sec. 27. promissoris autem tempus est hor. 22. mi. 21. sec. 26. significatoris itaque tempus à promissoris detractum relinquit tempus horarum 4. mi. 25. sec. 59. Cùm autem duodecima & secunda eandem habent poli eleuationem, deberent etiam tempora æqualia esse, at discordant in 5. secundis, causa diuersitatis est, quòd in columnulis domorum non ponuntur secund. sed cùm pauciora quàm 30. sec. fuerant, abiecta sunt: cùm autem plura quàm 30. additum est integrum minutum: vbi abiecta sunt sec. tempus est minus: vbi autem plus est additum, tempus est maius: sic necesse est aliquam differentiam in temporibus accidere, licet non notabilem.

At si idem significator teneret cuspidem tertiæ domus, quero loca significatoris ac promissoris in columnula tertiæ domus, & inuenio tempus significatoris ho. 16. mi. 25. sec. 44. promissoris autem ho. 20. mi. 59. sec. 5. tempus significatoris à promissoris demptum, relinquit hor. 4. mi. 33. sec. 21. illud tempus deberet æquale esse cum relicto 11. domus, at differentia est 10. sec. causa paulò superius de 2. domo dicta est.

Ex hoc infertur, si significator quispiam fuerit in 11. domo, potes talem dirigere vel per domum 11. vel per tertiam, similiter si fuerit in tertia domo, potes eum dirigere per tertiam vel per vndecimam, eò quòd eandem habeant poli eleuationem 29. gra. 2. minutorum.

Ita

Ita quoque si aliquis significatorum fuerit in duodecima, potes eum dirigere per duodecimam & secundam, aut si fuerit in secunda, potes talem dirigere per secundam aut duodecimam, cùm eandem habent poli eleuationem 43. gr. 53. mi.

PROPOSITIO XXVI.

Significatore cuspidem occidentis vel septimæ domus tenente, eundem per tabulas domorum artificialiter dirigere.

ACcipe puncta opposita significatoris ac promissoris, & quære ea puncta in domo opposita, in columnula videlicet primæ domus, & quære tempora significatori ac promissori respondentia, deinde subtrahe tempus significatoris à tempore promissoris, differentia ostendit tempus, quanto arcus oppositus interceptus inter loca opposita significatoris ac promissoris ascendat, tanto tempore arcus inter significatorem & promissorem descendit, quod si deinceps per 20. propos. in gradus Æquinoctialis conuertas, habes descensionem significatoris propositi, & per gradus Æquinoctialis habes annos, menses & dies, qui ostendunt per quot annos significator perueniat ad promissorem propositum.

Exemplum. Sit in aliqua genitura principium Libræ in cuspide septimæ domus in latitudine regionis 48. gra. & sit significator, promissor verò sit in 10. gr. 14. mi. Scorpij, volo scire in quot annis veniat significator ad locum promissoris via directionis, quia septima domus non ponitur in tabula domorum, accipio oppositam, scilicet primam, similiter loca opposita significatoris & promissoris, locus oppositus significatoris est principium Arietis, promissoris verò 10. gra. 14. mi. Tauri, & quæro in primæ domus columnula loca illa opposita, & elicio tempora respondentia illis locis oppositis, & sic opposito loco significatoris respondent horæ 18. mi. 0. sec. 0. quod seruo ad partem, opposito verò loco promissoris respondent hor. 19. mi. 22. se. 19. ab illo tempore subtraho tempus opposito loco significatoris respondens ad partem seruatum, residuum est hora 1. minu. 22. sec. 19. id in gradus, mi. & sec. Æquinoctialis conuerto, prouenunt 20. grad. 34. mi. 45. sec. tot gradus Æquinoctialis descendunt cum arcu Zodiaci intercepto inter significatorem & promissorem, qui arcus Æquinoctialis in annos, menses & dies con-

uersus

uersus facit annos 20. menses 6. dies 28. in tanto tempore significator peruenit ad locum promissoris, & accidens promissum per promissorem effectum suum sortitur.

Vel poteris per tabulam proposit. 23. tempus ipsum, videlicet horam 1. mi. 22. sec. 19. in annos, menses & dies conuertere, & idem prouenit.

PROPOSITIO XXVII.

Significatores, cùm cuspides domorum in medietate cœli descendente, puta nonæ, 8. 6. & 5. possederint, quomodo dirigendi sint per tabulas domorum docere.

CVm domus in medietate cœli descendente non expressè ponantur in tabula domorum, semper domus & signa opposita sunt sumenda, & vt anteà docuimus agendum cum significatore in septima constituto, sic etiam in alijs domibus est intelligendum. Quando igitur significator fuerit in cuspide nonæ, accipienda est domus opposita, scilicet tertia: si in cuspide octauæ, tunc secunda domus: pro 6. duodecima domus, pro 5. vndecima. In opposita igitur domo quærenda sunt loca opposita significatoris & promissoris in signis & gradibus, & tempora illis respondentia extrà notanda, tempusque significatoris ex tempore promissoris demendum, & relictum in gradus, minu. & sec. conuertendum, & talis arcus Æquinoctialis dicitur descensio arcus Zodiaci intercepti inter locum significatoris & promissoris, qui ostendit post quot annos talis directio compleatur: vel potes tempus ipsum in annos, menses & dies conuertere, & idem habebis.

Exemplum. Sit significator quispiam in cuspide nonæ domus in 18. gr. 58. mi. Scorpij, promissor verò sit in 25. gr. 13. mi. Capricorni, volo scire, in quot annis significator propositus veniat ad locum promissoris via directionis, quia 9. domus non ponitur in tabula domorum, accipio eius oppositam, scilicet tertiam, & quæro significatoris & promissoris loca opposita in signis & gradibus, quæro igitur 18. gr. 58. mi. Tauri in columnula tertiæ domus, & reperio tempus illi respondens ho. 16. mi. 25. sec. 44. similiter quæro in eadem domo tertia locum oppositum promissoris, scilicet 25. gr. 13. mi. Cancri, & inuenio tempus ei respondens hor. 20. mi. 59. sec. 5. subtraho itaque tempus significa-

toris à tempore promissoris, relictum est hor. 4. mi. 33. sec. 21. quod tempus in gradus & minuta Æquinoctialis conuerto, proueniunt 68. gr. 20. mi. 15. sec. tanta est descensio arcus Zodiaci intercepti inter significatorem & promissorem in eleuatione poli 29. gr. 2. mi. quæ est cuspidis nonæ domus, & facit annos 68. menses 4. diem 1. & dimidium.

Si ille idem significator esset in cuspide octauæ domus, accipio domum oppositam, scilicet secundam, & quæro loca opposita in columnula secundæ domus, & reperio tempus significatoris hor. 17. mi. 55. sec. 27. at promissoris ho. 22. mi. 21. sec. 26. si horæ significatoris detrahantur ab horis promissoris, relinquuntur ho. 4. mi. 25. sec. 59. quæ faciunt an. 66. mens. 5. dies 28. post tantũ temporis spaciũ significator peruenit ad promissorem in eleuatione poli 43. gra. 53. mi. quam habet domus 8.

Si idem significator esset in sextæ domus cuspide, accipio 12. tanquàm eius oppositam, & quæro in ea opposita loca significatoris & promissoris, & elicio tempora eorundem, significatoris est ho. 21. mi. 55. sec. 24. promissoris verò ho. 2. mi. 21. se. 28. significatoris tempore detracto à tẽpore promissoris relinquuntur hor. 4. mi. 26. sec. 4. quæ faciunt annos 66. mẽses 6. dies 6.

Si idem significator esset in cuspide 5. domus, accipio vndecimam, & quæro in ea loca opposita significatoris ac promissoris, & extraho tempora illis respondentia, significatoris tempus est ho. 0. mi. 25. sec. 39. promissoris verò tempus est ho. 4. mi. 59. sec. 10. cùm tempus significatoris subtrahitur à tempore promissoris, relinquuntur hor. 4. minu. 33 sec. 31. quæ faciunt annos 68. menses 4. dies 16. & dimidium.

PROPOSITIO XXVIII.

Quomodo significatores contra ordinem signorum dirigendi sunt per tabulas domorum, declarare.

DIrectio significatoris cuiuspiam contra successionẽ signorum similis est directioni secundũ signorũ consequentiam, hoc vno considerato, quòd ascensiones & descensiones siue tempora in tabula domorũ respondentia accipiantur secundũ positionem promissoris, & non significatoris, ac si promissor dirigendus esset ad locũ significatoris: in directione secundum ordinem signorũ locus promissoris mouetur ad locum, vbi fuit significa-

tor:

tor: sed contra ordinem signorũ locus significatoris mouetur ad locũ promissoris, & ille motus contrarius est priori. Cùm igitur significatorem quempiam contra ordinem signorũ dirigere volueris ad promissorem, tunc considera an promissor sit in cuspide alicuius domus in medietate cœli ascendente, deinde quęre in ea domo locũ significatoris & promissoris, & signa tempora illis respondentia: si verò fuerit in cuspide domus in medietate cœli descendente, accipe domũ oppositam & loca opposita significatoris & promissoris, & quęre tempora eorũdem, deinde subtrahe tempus significatoris à tempore promissoris, & residuum in gra. & mi. Æquinoctialis conuersum ostendit ascensionem obliquam respondentem arcui Zodiaci, intercepto inter locũ promissoris & significatoris, si fuerit promissor in cuspide alicuius domus in medietate cœli ascendente, vel descensionẽ, si promissor fuerit in cuspide alicuius domus in medietate cœli descendente, & tales gradus Æquinoctialis ostendunt annos, menses & dies, post quot significator venerit contra ordinẽ signorũ ad locũ promissoris.

Exemplum. Sit promissor quispiam in cuspide domus decimæ in ♐. gr. ♈, & significator in principio ♓, volo significatorem dirigere ad promissorem contra ordinem signorũ. i. in quanto tempore locus significatoris peruenìat ad locũ promissoris, qui motus fit contra ordinem signorũ, quęro itaq; locũ significatoris & promissoris in columnula 10. domus, quam promissor tenet, & inuenio tempus respondens significatori 22. ho. 8. mi. 25. sec. è regione verò loci promissoris reperio ho. 0. mi. 21. sec. 59. subtraho igitur tempus significatoris à tempore promissoris, accommodatis 24. horis, & residuum est ho. 2. mi. 13. sec. 34. id in grad. Æquinoctialis conuersum, facit gr. 33. mi. 23. sec. 30. tantus arcus Æquinoctialis intercipitur in sphęra recta inter locum promissoris & significatoris.

Si quispiam promissor esset in 0. gr. 26. mi. ♋ in cuspide 11. domus, & significator esset in 11. gr. 7. mi. ♉, quæro loca significatoris & promissoris in columnula 11. domus, & elicio tempora illis respõdentia, inuenio itaq; tempus promissoris ho. 3. mi. 6. sec. 8. è regione aũt loci significatoris ho. 0. mi. 0. sec. 0. subtraho tempus significatoris à promissoris tempore, & erunt hor. 3. mi. 6. sec. 8. quod in grad. Æquinoctialis conuerto, proueniunt 46. gr. 32. mi. qui faciunt annos 46. menses 6. dies 12.

Si idem promissor esset in cuspide nonæ domus, & significator in 10. gr. 7. mi. ♉, quia 9. domus nõ ponitur in tabula, accipio eius oppositam, scilicet 3. & quæro loca opposita in columnula tertiæ domus, inuenio itaque tempus promissoris 8. hor. 57. mi.

46. sec. significatoris verò ho. 5. mi. 9. sec. 27. subtracto igitur tempore significatoris à tempore promissoris, relinquuntur horæ 3. minu. 48. sec. 19. quæ faciunt 57. gr. 4. mi. 45. sec. quæ faciunt annos 57. dies 28. & dimidium.

PROPOSITIO XXIX.

Ad quem locum Zodiaci directio significatoris, qui fuerit in cuspide alicuius domus, secundũ signorum successionem perueniat in anno aliquo proposito inuestigare.

SVbtrahe annũ radicis ab anno proposito, & eum numerum multiplica per 4. minuta, & productum diuide per 60. si potes, & in quotiente habes horas, quas serua ad partem cum suo residuo, quæ sunt minuta horæ: si verò fuerint minus 60. tunc productum minutorum serua ad partem, deinde quære gradum medij cœli radicis in columnula decimæ, aut gradũ ascendentis in prima domo, aut grad. alterius domus radicis, quemlibet in sua columnula, & quære tempus illi respondens, tali tempori adde tempus prius ad partem seruatum in horis & minutis, aut in minutis tantùm, deinde quære aggregatum in columnula temporis, & vbi reperies tale aggregatum, è regione habes initia singularum domorum, quæ pro proposito anno finita sunt, & gra. ac mi. quæ immediatè sequuntur, illa initia erunt gradus ac minuta directionis anno sequente: si aggregato adhuc 4. mi. temporis adieceris, & ad tale tempus initia domorum quæsieris, inuenies quantum arcum quæque domus in anno proposito via directionis permeabit: & erigatur figura cœli, quæ dicitur figura directoria pro anno proposito, in quam figuram inscribendi sunt gradus & minuta Planetarum & aliorum significatorum, ad quæ via directionis anno proposito peruenerunt, vt docet Ioannes de monte Regio problemate 27.

Exemplum. Fuit natiuitas cuiusdam anno 1527. cuius medium cœli fuit 10. gr. 4. mi. Aquarij, ascendens 11. gr. 0. mi. ♊, in eleuatione poli 48. grad. volo scire ad quem gradum Zodiaci peruenerit via directionis cuspis cuiuslibet domus anno 1548. inprimis subtraho annum radicis 1527. ab anno proposito, s. 1548. differentia est ann. 21. illum numerum annorum multiplico per 4. minuta, productum est 84. quod per 60. diuisum, quotiens est hora vna, mi. 24. quæ seruo ad partem, deinde quę-

rò gradum medij cœli in columnula decimæ domus, aut gradum ascendentis in columnula primæ domus, & è regione in columnula temporis reperio horas 20. mi. 50. sec. 7. huic tempori addo tempus ad partem seruatum, scilicet hor. 1. mi. 24. aggregatum est ho. 22. minu. 14. sec. 7. hoc quæro in columna temporis, & non præcisè inuenio, accipio tempus proximè minus, hor. 22. minu. 12. sec. 14. & per partem proportionalem reperio per 3. huius part. initia domorum aggregato temporis respondentia.

10	11	12	1	2	3
♓	♈	♉	♊	♋	♌
Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.
1 30	5 3	25 23	2 6	23 46	11 7

Ista sunt loca Zodiaci, ad quæ quælibet domus peruenit via directionis pro fine anni ætatis 21. pro anno igitur sequente videlicet 22. ætatis sequens immediatè arcus Zodiaci respondebit: quantus autem arcus Zodiaci anno sequenti respondeat via directionis sic dinosco, tempori per quod initia domorũ iam quæsiui ad finem anni ætatis 21. scilicet hor. 22. mi. 14. sec. 7. addo 4. minuta horæ, & erunt horæ 22. mi. 18. sec. 7. hoc tempus iterum quæro, & vbi reperio, è regione iterum elicio initia sex domorum, sed non præcisè reperio, accipio tempus proximè minus, scilicet hor. 22. mi. 16. sec. 2. huic tempori quero per partẽ proportionalem, vt prius, initia sex domorum, & habebo initia sex domorum via directionis pro fine anni ætatis 22. vt sequitur.

10	11	12	1	2	3
♓	♈	♉	♊	♋	♌
Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.	Gr. Mi.
2 33	6 29	26 43	3 4	24 34	11 58

Cum subtraxeris directiones pro fine anni 21. à directionibus pro fine anni 22. habebis arcum Zodiaci, quantum quælibet domus via directionis in proposito anno perambularit, vt sequitur.

1 3	1 26	1 20	0 58	0 48	0 51

De rectificatione natiuitatum.

PROPOSITIO XXX.

Moram infantis in vtero materno supputare.

TRiplex ſecundum Aſtrologos eſt mora nati in vtero materno: minor, media, & maior. Mora minor eſt 258. dierum, media 273. dierum, maior 288. dierum: qui natus fuerit aut citius quàm ſit mora minor, aut tardius quàm ſit mora maior, non dicitur naturaliter partus, ob id raro etiam ſuperuiuũt, præſertim qui non attigerint terminum moræ minoris.

Si ergo ſcire volueris moram nati in vtero materno naturaliter competentem, erigatur figura cœli ad tempus æſtimatum, quod dicitur eſſe prope verum iuxta æſtimationem, nam horologia pulſatilia, quæ vt plurimùm ſunt in vſu, rariſsimè ad præciſionem reſpondent, ob id tempus iuxta horologia pulſatilia acceptum, æſtimatum vel prope verum dicitur, mediante autem illo verum tempus per rectificationem inuenitur. Erecta igitur per ſecundam aut tertiam propoſitionem huius partis, figura cœli, quære per propoſitionem tertiam aut ſeptimam ſecundæ partis, verum locum Lunæ ad tempus æſtimatum, & conſidera, in quo loco figuræ Luna fuerit. Cùm igitur Luna inuenta fuerit præciſè in angulo aut cuſpide domus ſeptimæ aut occidentis, tunc mora nati erit minor, ſcilicet 258. dierum, & augetur mora, quanto Luna plus elongatur ab angulo occidentis ſupra terram: quando fuerit in angulo orientis vel in cuſpide 1. domus, tunc eſt mora media, & continuè augetur, quanto plus ſub terra elongatur ab angulo orientis, & cùm fuerit propinquiſsima angulo occidentis ſub terra, erit mora maior: Subtrahe itaque ſignum & gradum occidentis à ſigno & gradu Lunæ, & quod remanet eſt elongatio Lunæ ab angulo occidentis, cum tali elongatione intra tabulam ſequentem cum ſignis & gradibus, ſi præciſè inueneris, habes è regione dies moræ: ſi verò non præciſè inueneris, accipe ſigna & gradus, quibus elongatio propior fuerit, & habes è regione dies moræ.

Exemplum. In quadam figura natiuitatis æſtimata locus Lunæ fuit 14. grad. 56. minu. Sagittarij ſupra terram, Angulus occidentis 13. grad. 29. minu. Virginis, Subtracto itaque angulo occidentis à loco Lunæ, reſiduum eſt 3. ſig. 1. gr. 27. mi. & tanta eſt elongatio Lunæ ab occidente, quam quæro in tabula moræ, accipio igitur elongationem, quæ proxima fuerit in tabula, ſcilicet 3. ſig. 6. grad. & è regione inuenio dies moræ 266. quod fuit propoſitum.

Sequitur tabula inueniendi moram nati in vtero materno.

Elōgatio ☽ ab angulo occidē.		Dies moræ.		Elōgatio ☽ ab angulo occidē.		dies moræ.
Sig.	Gr.			Sig.	Gr.	
0	0	258		6	12	274
0	12	259		6	24	275
0	24	260		7	6	276
1	6	261		7	18	277
1	18	262		8	0	278
2	0	263		8	12	279
2	12	264		8	24	280
2	24	265		9	6	281
3	6	266		9	18	282
3	18	267		10	0	283
4	0	268		10	12	284
4	12	269		10	24	285
4	24	270		11	6	286
5	6	271		11	18	287
5	18	272		11	29	288
6	0	273				

Albubater cap. 3. ponit modum inueniendi moram sine tabula, tali modo: Vide vbi sit Luna in figura æstimata, si est sub terra, quære distantiam eius ab ascendente, & numerum graduum dupla, & duplatum per 24 diuide, & quotiens ostendit dies. residuum autem horas, hos dies & horas adde ad moram mediam, & resultat vera mora: Si verò Luna fuerit supra terram, quære distantiam eius ab angulo occidentis, & numerum graduum dupla, & diuide, vt prius, per 24. quotiens ostendit dies, residuum horas, illos dies adde ad moram minorem, & habebis veram moram.

Exemplum. Sit distantia Lunæ ab angulo occidentis 2. sig. quæ faciunt 60. gra. duplatum facit 120. gr. id diuisum per 24. quotiens est 5. dies, qui moræ minori adiecti faciunt dies 263. veram moram.

PROPOSITIO XXXI.

Tempus conceptionis alicuius nati inuenire.

QVa die mensis, quaúe hora ac minuto natus quispiam conceptus sit, sic inuenies: Quære per præcedentem, dies moræ in vtero materno, deinde quære per sequentes tabellas, quarum

num vna ſeruit pro anno cõmuni, altera pro biſſextili, quot ſint dies à principio anni vſque ad diem natiuitatis, quod tali modo inuenies: conſidera an annus natiuitatis ſit communis aut biſſextilis: ſi fuerit communis, quære menſem completum immediatè præcedentem natiuitatem, & numerum dierum è regione poſitum extrà ſcribe, cui adde numerum dierum natiuitatis, & habes numerum dierum à principio anni vſque ad diem natiuitatis: eodem modo age in altera tabella, ſi fuerit annus biſſextilis, & habebis propoſitum.

Exempli gratia: quidam natus eſt 13. die Nouemb. & fuit annus communis, volo ſcire, quot dies ſint à principio anni, accipio menſem immediatè præcedentem, ſcilicet Octobrem, & è regione reperio ſub titulo, Dies anni communis, dies 304. quibus addo dies 13. & erunt dies 317. erunt igitur dies à principio anni vſque ad diem natiuitatis 317.

Nomina mẽſium.	Dies anni cõm.	Dies anni biſſe.
Ianuarius	31	31
Februarius	59	60
Martius	90	91
Aprilis	120	121
Maius	151	152
Iunius	181	182
Iulius	212	213
Auguſtus	243	244
September	273	274
October	304	305
Nouember	334	335
December	365	366

Habitis igitur diebus moræ & diebus à principio anni vſq; ad diem natiuitatis, ſubtrahe dies moræ à diebus à principio anni, accommodatis 365. diebus ſi præcedens annus eſt communis, aut 366. ſi ſit annus biſſextilis, & reſiduum quære in prædicta tabula menſium ſub titulo anni communis, ſi accommodatus annus ſit communis: aut ſub titulo anni biſſextilis, ſi accommodatus annus fuerit biſſextilis, ſi reſiduum præciſè inueneris, habes è regione diem menſis vltimũ, quo videlicet quis conceptus ſit: ſi verò non præciſè inueneris, accipe numerum proximè minorem, & ſubtrahe à numero reſiduo, quem quæris, quod ſupereſt eſt dies menſis immediatè ſequentis, qua conceptus eſt natus.

Exemplum. Volo inuenire diem conceptionis natiuitatis, quę facta eſt 13. die Nouẽbris, gradus occidentis fuit 13 gr. 29. mi. Virginis, locus Lunæ fuit 14. grad. 56. mi. ++, diſtantia ab occidente eſt 3. ſig. 1. grad. 27. mi. quam quæro in tabula moræ, & proximus numerus illic eſt 3. ſig. 6. gra. è regione inuenio moram nati 266, hunc numerum dierum ſubtrahio à diebus à principio

cipio anni, ſcilicet 317. diebus, reſiduum eſt 51. dies, quia annus eſt communis, quæro 51. dies in diebus anni communis, & non pręciſè reperio, accipio dies proximè minores, ſcilicet 31. reſpondentes fini Ianuarij, hos ſubtraho à 51. reſiduum eſt 20. dies ſequentis menſis, ſcilicet Februarij, qui eſt dies conceptionis.

Horam autem & minutum conceptionis inuenies ex verbo 51. centiloquij Ptolemæi, vbi inquit (vt habet tranſlatio Pontani) In quo ſigno Luna eſt genituræ tempore, illud in conceptu fac aſcendens, & in quo ſigno inuenta fuit in conceptu, illud aut eius oppoſitum fac aſcendens in partu. Quæro itaque locum Lunæ tempore natiuitatis, & eſt 14. gra. 56. mi. ♑, quæro igitur die conceptionis, ſcilicet 20. Februarij, quo tempore locus Lunæ, ſcilicet 14. gr. 56. mi. ♑, oriatur per 6. propoſ. huius part. & inuenio quòd eodem die, ſcilicet 20. oriatur hora 6. minu. 41. ante meridiem, locus Lunæ ad eam horam & minutum die conceptionis eſt 19. gr. 8. mi ♈, diebus æquatis.

PROPOSITIO XXXII.

Verum aſcendens alicuius nati inuenire.

FVerunt hactenus duo modi in vſu rectificandi genituras, quos ponit Ptolemæus, per dominatorem præcedentis coniunctionis aut oppoſitionis, quem modum Animodar Arabicè vocant, alter modus fit per tempus conceptionis, vt docet Ptolemæus verbo 51. ſui centiloquij, modum autem per Animodar ponit Ptolemęus in 3. libro ſui Quadripartiti cap. 2. & ſecundum antiquam tranſlationem etiam mentionem facit verbo 34. ſui centiloquij, ſed iuxta verſionem Trapezuntij & Pontani, quibus plus credendum eſt, perperam fuit verbum illud interpretatum: Ptolemæus enim, vt etiam ſequens verbum habet, nõ de genituris hominum illic loquitur, ſed de aëris ſtatu, qualis videlicet diſpoſitio aëris futura ſit totius menſis, elicitur ex dominatore ♂ aut ☿, cùm cardinalis fuerit.

Rectificatur autem genitura per dominatorem præcedentis coniunctionis aut oppoſitionis hoc modo: Erigatur figura cœli ad tempus ♂ aut ☿ immediatè præcedentis, & quæratur quis ſit dominator in gradu ac minuto coniunctionis aut oppoſitionis, eundem dominatorem quære in quo loco ſit in figura natiuitatis eſtimatæ, & cui angulo in figura natiuitatis ſit propior, talis angulus debet habere ſimilem vel eundem numerum graduum eiuſdem ſigni, quod angulum proximum poſsidet, qualem habet

ipse dominator præcedentis coniunctionis vel ☿ : habito itaq; gradu cuspidis alicuius anguli, per 9. huius part. habes tempus veræ natiuitatis, & per consequens etiam totam figuram cœli.

Exemplum. Sit natiuitas quædam, cuius ascendens æstimatum fuit 13. gr. 29. mi. piscium, locus ☌ præcedentis est 29. gr. 18. mi. ♏, dominator loci coniunctionis est ♂, cuius verus locus in Zodiaco est in 27. gr. 47. mi. ♌, in sexta domo locatus, proximus angulus est cuspis septimæ domus, septimam autem domum in genitura æstimata possidet signum ♐, pono igitur ad cuspidem septimæ domus similem vel eundem numerum graduum, s. 27. gr. 47. mi. signi ♐, vt verus locus dominatoris habet, per 9. igitur huius, quæro tempus, quo talis gradus possidet cuspidem septimæ domus, & inuenio ho. 2. min. 2. sec. 58. tempus verum natiuitatis per illum modum, quo habito, erigo figuram cœli, sicut docent 3. & 4. propos. huius part. & habeo figuram natiuitatis rectificatam, & erit verum ascendens 27. gr. 47. mi. ♓.

Alter modus inueniendi verũ ascendens fit per tempus conceptionis: dicit enim Ptolemæus, in quo signo ☽ fuerit tempore genituræ, illud in conceptu fac ascendens, & in quo signo inuenta fuit in conceptu, illud aut eius oppositum fac ascendens in partu. Per antecedentes duas propositiones quære tempus conceptionis, ad quod per 7. propos. 2. partis quære verum locum Lunæ, qui erit verum ascendens natiuitatis, per quod inuenies per 9. huius, verum tempus natiuitatis, & per 3. & 4. huius totam figuram natiuitatis.

Exemplum. Sit genitura, cuius ascendens æstimatum est 13. gr. 29. mi. ♐, & locus ☽ in natiuitate 14. gra. 56. mi. ♑, volo illam rectificare per verbũ Ptolemæi 51. centiloquij. i. per conceptionem, mora nati in vtero materno per 29. huius, est 266. dierũ, tempus conceptionis eius per 30. huius, est 20. dies, ho. 6. m. 41. ante meridiem, locus ☽ tempore conceptionis est 19. gr. 8. m. ♓, diebus æquatis: dico igitur hunc locum Lunæ tempore conceptionis esse verum ascendens tempore natiuitatis, quæro itaque per 6. huius, tempus ortus huius gradus, & inuenio quòd oritur hora 1. min. 46. sec. 37. post meridiem, quod est verum tempus & æquatum natiuitatis secundum istum modum.

Isti autem duo modi rectificandi genituras discordant in hac natiuitate pro vero ascendente inueniendo, & certè primus modus est valde suspectus, non obstante quòd Ptolemæus eundem posuerit: potest enim aliquando contingere, vt duobus natis, quorũ tempora natiuitatum media hora distarent, & aliquando plus, idem gradus ascenderet, quod est impossibile.

Alter

Alter aũt modus p cõceptionẽ prẽsupponit naturalem partũ, vbi nullũ malũ accidẽs causa sit accelerationis partus, vt pcussio, casus, aut ægritudo aliqua, aut vbi nullũ artificiũ pro accelerando partu adhibetur, vt mos est apud mulierculas, vt citius liberẽtur à dolore partus, & vbi nullũ occurrerit accidens, quo differtur partus, vt fit ex magnitudine infantis, aut ex frididitate loci, vbi meatus constringũtur, vel ex alia causa, qua tardius egrediatur infans ex vtero materno: ob id hi modi rectificandi rarissimè concordant, & nullus certior modus pro habẽdo vero ascendente natiuitatis est, quàm quòd tempus partus inquiratur per instrumentum Astronomicum, quod tamen rarissimè fit.

Pro inquirendo igitur vero ascendente in natiuitatibus æstimatis opus est, vt experientia probetur per ægritudines aut alia aduersa accidentia, corpus & animũ molestantia: habito igitur ascendente æstimato, considera diligenter, quando infortunæ, Saturnus videlicet & Mars, motu proprio moueãtur per tale signum, rarissimè enim gradũ ascendentem pertranseunt sine aliqua ægritudine aut molestia animi: considerandũ igitur est, quã diu infortuna per signũ ascendens mouetur, quo die aliqua ęgritudo aut molestia animi acciderit, ille grad. in quo infortuna fuerit, erit gradus ascendens. Ista rectificatio fit per futura tempora.

Per prẽterita verò quęrendę sunt infortunæ, quando transierint per signum ascendens, & deinde diligenter cogitandũ, an eo tẽpore aliqua ægritudo aut molestia animi aut periculũ aliquod corpori acciderit, & ille gradus, in quo tum infortuna fuerit, erit gr. ascendens, at illæ ægritudines, quæ causantur per motũ infortunarũ per ascendens, non diu durant, ad paucos videlicet dies, nisi infortunæ essent stationariæ. Sed si diu durauerint, ad septimanã vel duas, oportet cõsiderare profectiones annuas, an ascendens eo tempore ad malignũ aliquem radiũ peruenerit: si durauerit vltra septimanam, oportet videre, an aliqua coniunctio magna fuit in signo ascendente, vel alius malignus aspectus ☍ aut □ aut aliqua Eclipsis, tunc talis gradus, in quo fit ☌ magna aut ☍ aut □ aut Eclipsis, & effectus eius in tẽpus ægritudinis inciderit, erit gr. ascendens. Si nihil horũ inueneris, vide an signũ ascendẽs venit via directionis ad aliquem malignũ radiũ, deinde considera annos ętatis tuæ, eos subtrahe ab ascensione obliqua tuæ regionis maligni radij, & habebis ascensionẽ obliquã gr. ascendentis, cui quęre arcũ Zodiaci respondentẽ, qui erit ascendens verũ. Sed diligenter etiam in primis est videndũ, an aliqua ☌ magna, ☍ aut □ fiat in loco Hilech aut loco ☽, aut directio fiat loci Hilech aut loci ☽ eo anno ad aliquẽ malignũ radiũ, tunc esset res dubia: faciunt enim etiam ægritudines.

De Reuolutionibus.

PROPOSITIO XXXIII.

Reuolutiones annorum mundi quocunque anno proposito indagare.

REuolutio annorum mundi dicitur tempus, quo Sol ingreditur in principium Arietis, in quo videlicet fuit tempore creationis mundi secundum opinionem Astrologorum. Etsi autem in secunda parte docuimus introitum Solis in Arietem vel in quodcunque aliud signum aut punctum Zodiaci, tamen non præcisum tempus elici potest ex Ephemeridibus, eò quòd in motu Solis non sunt adnotata secund. Vt autem præcisum tempus inueniatur, opus est habere radices introitus Solis in principiū Arietis ac reliqua signa, quibus videlicet diebus, horis ac minutis alicuius mensis Sol in principiū cuiuslibet signi sit ingressus, quod tabula sequens manifestat, quæ facta est ad annum 1547. ad meridianum Viennensem, qui fuit tertius post bissextum.

Tabula radicum temporum introitus Solis in principia singulorum signorum.

Sig.	Mens.	di.	h.	m.	se.
♒	Ianuarij	9	22	45	16
♓	Februarij	8	13	20	16
♈	Martij	10	16	18	16
♉	Aprilis	10	9	16	16
♊	Maij	11	14	44	16
♋	Iunij	12	3	19	16
♌	Iulij	13	15	51	16
♍	Augusti	13	22	45	16
♎	Septembris	13	16	58	16
♏	Octobris	13	21	16	16
♐	Nouembris	12	12	47	16
♑	Decembris	11	21	2	16

In

Volens igitur reuolutionē aliquo anno proposito annorum mundi inquirere, in primis consideret, an annus radicis sit bissextilis, aut primus, secundus, aut tertius post bissextum, deinde subtrahat annum radicis ab anno proposito, & residuum annorum si fuerit minus 40. quærat in latere sinistro tabulæ reuolutionis in annis expansis, & è regione sub titulo denominationis radicis accipiat horas, mi. & secund. cum nota A vel M, si radix fuerit annus bissextilis, tunc tempus in prima columna est sumendū: si primus post bissextum, in secunda columna: si secundus post bissextum, in tertia columna: si tertius post bissextum, in quarta columna, & tale tempus inuentum extrà scribatur ad partem, quod

quod quidem addendum est ad tempus radicis, si habet notam A, aut minuendū à tempore radicis, si habet notam M, & quicquid additione aggregabitur, aut subtractione residuabitur, dicitur tempus reuolutionis primò æquatum. Si additione plus 24. aggregabitur, 24. sunt abijcienda, & residuum pro tempore reuolutionis seruandum. Quod si subtractio fieri non posset, adijciantur 24. horæ radici, & ab aggregato fiat subtractio, & residuum ostendet tempus reuolutionis primò æquatum, quod ad partem est seruandum.

Exemplum. Volo scire reuolutionem annorum mundi pro anno 1555. scio tabulam radicum esse compositam pro anno 1547. & esse tertium post bissextum, subtraho annum radicis ab anno proposito, residuum est 8. quia minus est 40. quæro in tabula reuolutionis in annis expansis, & è regione sub titulo, Tertio post bissextum, inuenio horam 1. minu. 25. sec. 52. cum nota M, quod tempus subtraho ex tempore radicis, scilicet 10. diebus, 16. hor. 18. minu. 16. sec. residuum est 10. dies, 14. ho. 52. mi. 24. sec. tempus reuolutionis annorū mundi primò ęquatum: tale itaque tempus, scilicet ho. 1. mi. 25. sec. 52. à quolibet tempore introitus Solis in initia signorum subtractum, relinquit tempus reuolutionis Solis in quodlibet signum anni propositi.

Dies verò ex Ephemeridibus facilimè elicitur, sine quibus nulla reuolutio perfici potest, ille enim dies semper est sumendus, è regione cuius locus Solis proximè minor radice ponitur, & ex distantia eiusdem à vero loco radicis quoque tempus reuolutionis prope verum probari poterit, si distantia per motum Solis in hora diuiditur.

Si verò residuum annorum post subtractionem anni radicis ab anno proposito excederet 40. intrandum est cum tali residuo in tabulam reuolutionis in annis collectis, & si præcisè tale in tabula inueneris, è regione habes tempus semper minuendum ex tempore radicis, & habebis tempus reuolutionis primò ęquatum.

Exemplum. Cupio scire reuolutionem annorum mundi pro anno 1560. & radix eius cognita sit anno 1480. die 10. Martij, hora 10. mi. 17. interstitium annorum inter radicem & annum reuolutionis est 80. ann. qui numerus excedit 40. numerum lateralem primæ tabulæ reuolutionis, in annis videlicet expansis, intro igitur in secundam tabulam reuolutionis in annis collectis, & quæro in latere sinistro eum numerum, scilicet 80. & præcisè inuenio, & è regione offeruntur horæ 14. mi. 18. sec. 43. minuēda, quib. subtractis ex radice anni 1480. remanēt dies 9.

hor. 19. minu. 58. sec. 17. tempus reuolutionis annorum mundi pro anno 1560. primò æquatum.

Si verò interstitium annorum non præcisè inueneris in tabula annorum collectorum, accipe numerum annorũ proximè minorem in tabula repertorum, & tempus è regione repertũ extrà scribe cum sua nota, quę semper habet M, cum residuo annorum intrandũ est in tabulam reuolutionis in annis expansis, & tempus è regione repertũ sub suo titulo radicis videlicet quoq; extrà scribe cum sua nota A vel M, deinde considera, an notæ sint eædem vel diuersæ: si sunt eædem. i. ambæ A vel ambæ M, tunc tempora adde simul, & aggregatũ adde ad tempus radicis, si ambæ habuerint notam A, aut minue à radice, si habuerint notam M, & quicquid additione aggregaueris, aut detractione residaueris, erit tempus reuolutionis quæsitum primò æquatum.

Si verò notæ fuerint diuersæ, tempus minus à maiori subtrahatur, residuum maioris denominationem seruabit, cum quo agendum, vt prius monitum est, si habet notam A, adde: si M, minue, & habebis propositum.

Exemplum, vbi eædem notæ fuerint. Volo scire reuolutionem annorum mundi anno 1576. & eius radix cognita sit anno 1480. interstitium annorum est 96. ann. sed quia excedunt 40. quæro in tabula reuolutionis annorum collectorum, & non præcisè inuenio hunc numerum, accipio igitur numerum proximè minorem, s. 80. & è regione tempus inuentũ extrà scribo, horas videlicet 14. mi. 18. sec. 43. cũ nota M, deinde cum residuo annorũ scilicet 16. intro in tabulam reuolutionis annorũ expansorum, sub titulo radicis, anno videlicet Bissextili, & è regione reperio ho. 2. mi. 51. sec. 44. cum nota M, quia vtrumq; tempus habet eandem notam, M videlicet, addo tempora simul, & aggregatum est ho. 17. mi. 10. sec. 27. cum nota M, quod minuo à radice, manent dies 9. hor. 17. mi. 6. sec. 33. tempus reuolutionis annorum mundi anno proposito, scilicet 1576. primò æquatum.

Exemplum, vbi notæ fuerint diuersæ. Volo scire reuolutionem annorum mundi anno 1575. & radix cognita sit 1480. interstitium annorum est 95. ann. tempus ex collectis annis est ho. 14. mi. 18. sec. 43. cum nota M, residuum est 15. ann. cui respondet tempus ho. 15. minu. 19. sec. 0. cum nota A, quia notæ sunt diuersæ, demo minus tempus à maiori, residuum est hor. 1. mi. 0. sec. 17. quod habet notam A, maioris videlicet temporis, id addo ad radicem, & erunt horæ 11. mi. 17. sec. 17. tempus reuolutionis anni propositi.

Tabula

Anno Bissextili.					Primo post Bissextũ.				
Anni	Hor.	Min.	Sec.		Anni	Hor.	Min.	Sec.	
1	5	49	16	A	1	5	49	16	A
2	11	38	32	A	2	11	38	12	A
3	17	27	48	A	3	6	32	12	M
4	0	42	56	M	4	0	42	56	M
5	5	6	20	A	5	5	6	20	A
6	10	55	36	A	6	10	55	36	A
7	16	44	52	A	7	7	15	8	M
8	1	25	52	M	8	1	25	52	M
9	4	23	24	A	9	4	23	24	A
10	10	12	40	A	10	10	12	40	A
11	16	1	56	A	11	7	58	4	M
12	2	8	48	M	12	2	8	48	M
13	3	40	28	A	13	3	40	28	A
14	9	29	44	A	14	9	29	44	A
15	15	19	0	A	15	8	41	0	M
16	2	51	44	M	16	2	51	44	M
17	2	57	32	A	17	2	57	32	A
18	8	46	48	A	18	8	46	48	A
19	14	36	4	A	19	9	23	56	M
20	3	34	40	M	20	3	34	40	M
21	2	14	36	A	21	2	14	36	A
22	8	3	52	A	22	8	3	52	A
23	13	53	8	A	23	10	6	52	M
24	4	17	36	M	24	4	17	36	M
25	1	31	40	A	25	1	31	40	A
26	7	20	56	A	26	7	20	56	A
27	13	10	12	A	27	10	49	48	M
28	5	0	32	M	28	5	0	32	M
29	0	48	44	A	29	0	48	44	A
30	6	38	0	A	30	6	38	0	A
31	12	17	16	A	31	11	32	44	M
32	5	43	28	M	32	5	43	28	M
33	0	5	48	A	33	0	5	48	A
34	5	55	4	A	34	5	55	4	A
35	11	44	20	A	35	12	15	40	M
36	6	26	24	M	36	6	26	24	M
37	0	37	8	M	37	0	37	8	M
38	5	12	8	A	38	5	12	8	A
39	11	1	24	A	39	12	58	36	M
40	7	9	20	M	40	7	9	20	M

Tabula reuolutionis in annis expansis.

Secundo post Bissext.					Tertio post Bissextũ.				
Anni	Hor.	Min.	Sec.		Anni	Hor.	Min.	Sec.	
1	5	49	16	A	1	18	10	44	M
2	12	21	28	M	2	12	21	28	M
3	6	32	12	M	3	6	32	12	M
4	0	42	56	M	4	0	42	56	M
5	5	6	20	A	5	18	53	40	M
6	12	4	24	M	6	12	4	24	M
7	7	15	8	M	7	7	15	8	M
8	1	25	52	M	8	1	25	52	M
9	4	23	24	A	9	19	36	36	M
10	13	47	20	M	10	13	47	20	M
11	7	58	4	M	11	7	58	4	M
12	2	8	48	M	12	2	8	48	M
13	3	40	28	A	13	20	19	32	M
14	14	30	16	M	14	14	30	16	M
15	8	41	0	M	15	8	41	0	M
16	2	51	44	M	16	2	51	44	M
17	2	57	32	A	17	21	2	28	M
18	15	13	12	M	18	15	13	12	M
19	9	23	56	M	19	9	23	56	M
20	3	34	40	M	20	3	34	40	M
21	2	14	36	A	21	21	45	24	M
22	15	56	8	M	22	15	56	8	M
23	10	6	52	M	23	10	6	52	M
24	4	17	36	M	24	4	17	36	M
25	1	31	40	A	25	22	28	20	M
26	16	39	4	M	26	16	39	4	M
27	10	49	48	M	27	10	49	48	M
28	5	0	32	M	28	5	0	32	M
29	0	48	44	A	29	23	11	16	M
30	17	22	0	M	30	17	22	0	M
31	11	32	44	M	31	11	32	44	M
32	5	43	28	M	32	5	43	28	M
33	0	5	48	A	33	23	54	12	M
34	18	4	56	M	34	18	4	56	M
35	12	15	40	M	35	12	15	40	M
36	6	26	24	M	36	6	26	24	M
37	0	37	8	M	37	0	37	8	M
38	18	47	52	M	38	18	47	52	M
39	12	58	36	M	39	12	58	36	M
40	7	9	20	M	40	7	9	20	M

Tabula reuolutionum in annis collectis.

Anni	Di.	Hor.	Min.	Sec.		Anni	Dies	Hor.	Min.	Sec.
40	0	7	9	21		1040	7	18	3	26
80	0	14	18	43		1080	8	1	12	48
120	0	21	28	5		1120	8	8	22	10
160	1	4	37	27		1160	8	15	21	31
200	1	11	46	49		1200	8	22	40	53
240	1	18	56	11		1240	9	5	50	15
280	2	2	5	32		1280	9	12	59	37
320	2	9	14	54		1320	9	20	8	59
360	2	16	24	16		1360	10	3	18	20
400	2	23	33	38		1400	10	10	37	42
440	3	6	43	0		1440	10	17	37	4
480	3	13	52	21		1480	11	0	46	26
520	3	21	1	41		1520	11	7	56	47
560	4	4	11	5		1560	11	15	5	9
600	4	11	20	27		1600	11	22	14	31
640	4	18	29	48		1640	12	5	23	53
680	5	1	39	10		1680	12	12	33	15
720	5	8	48	32		1720	12	19	42	36
760	5	15	57	54		1760	13	2	51	58
800	5	23	7	15		1800	13	10	1	20
840	6	5	16	57		1840	13	17	10	43
880	6	13	25	59		1880	14	0	20	3
920	6	20	35	21		1920	14	7	29	25
960	7	3	44	43		1960	14	14	38	46
1000	7	10	54	4		2000	14	21	48	9

PROPOSITIO XXXIIII.

Reuolutiones natiuitatum, ædificiorum, aut aliarum rerum, quarum principia nota fuerint, ſciſcitari.

